PA 2165
.S5
Copy 1

PA 2165
.S5
Copy 1

QVAESTIONES ONOMATOLOGICAE

QVAS

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

VNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE OBTINENDORVM CAVSA

SCRIPSIT

OTTO SIEVERS

BRVNSVICENSIS

19284

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXII

PA2165
.S5

Caput primum.

De nominum graecorum metaplasmis quibusdam latinis.

§ 1.

Inscriptionibus latinis operam navanti saepissime nominum graecorum in *es* exeuntium casus obliqui in *etis eti etem ete* terminati offeruntur, quibus graeci in ητος ητι ητα desinentes non respondent, ut Eutychetis Diocletis Protogenetis Eusebetis Euprepetis. Hunc tamen metaplasmum non inscriptionum modo finibus coercitum fuisse, verum etiam in recentiorum scriptorum usum irrepsisse et Lactantius docet lib. de mortibus persecutorum LII, 3 Dioclete ablativo usus aliique scriptores ecclesiastici Schneidero teste ('Formenlehre d. lat. Sprache' vol. I p. 168) aliquoties Eutychetis declinationem prodentes, et Scaevola qui Digestorum lib. XLVIII, 10, 24 Aithaletis praebet. Grammatici quoque veteres eius metaplasmi mentionem faciunt, ut Charisius p. 68. 132. 542 ed. Keil. exempla adferens Eumenetis Euprepetis Pericletis Stratocletis. Inscriptionum testimonia cum syllogarum editores indicumque confectores, ut Iosephus Scaliger in celeberrimo indice thesauri Gruteriani sub 'Metaplasmus sive declinationum commutatio', tum huius aetatis grammatici contulerunt, quorum ex numero Fridericus Neuius et Hugo Schuchardtus cum laude memorandi sunt, ille quidem in libro qui inscribitur 'Formenlehre d. lat. Sprache' vol. I p. 349 sqq. rem tractans, hic libri de latinitatis vulgaris vocalibus vol. I p. 34. 231. Sed omnes fere, qui in illis nominibus studium collocarunt, eo peccavere, quod neque aetatem metaplasmi atque ambitum sat accurate definierunt neque originem satis recte perspexerunt: quod quidem ita tantum fieri poterat, ut non modo ex variis inscriptionum latinarum syllogis exempla utriusque declinationis colligerentur omnia, et metaplasmum sequentia et regulam, sed etiam ipsa graeca nomina in ης ητος finita magis in quaestionem vocarentur. En habes rationem, quae hanc primam

ut conscriberem paragraphum me movit. — Atque ut ab eo nomine incipiam, de quo summa cum confidentia licet adfirmare, in primo loco pono Eutyches. Quod cum in graeca lingua unum, quantum video ex Benseleri lexico*), genetivum habeat Εὐτύχου, in latina lingua, si similia nomina consideras, aut Eutychae aut Eutychis (cf. Apelles Orestes Euripides, alia) exspectas. Atque illius quidem declinationis vestigium videri possit Eutychae dativus esse, qui Orellianae collectionis inscr. 2625 legitur, quamquam is etiam ad Eutychas nominativum referri potest, qui in Brambachii Corp. inscr. Rhenan. 1712 exstat (cf. Εὐτυχᾶς C. I. Gr. 277. 284. 1279). Quae res utut se habet, erravit haud dubie Gorius, ut iam Hagenbuchius animadvertit (v. adnot. ad Or. 2625), cum l. s. s. pro Eutychae voluit aut Eutycho aut Eutycheti scribi. At supra diximus scriptores ecclesiasticos Eutychetis declinationis exempla praebere. Quaeritur igitur, quando haec forma appareat primum? quibus sit finibus circumscripta? utrum aliquo tempore singulare quodammodo imperium obtinuerit, an semper pro exceptione sit habita aliis formis iuxta exstantibus? Haec et similia si ex Neuio, qui plenissimam in hoc genere collectionem exhibet, quaeres, frustra quaeres. Schneiderus l. s. s. id saltem adfirmat, ad inferiora demum latinitatis tempora talia pertinere, sed ille quidem inscriptionum nulla habita ratione. Nostrum igitur est interroganti respondere. Atque in liberae rei publicae titulis, quos usque ad Caesaris mortem pertinentes in Mommseni Corp. inscr. lat. vol. I compositos habemus, nullum huius nominis vestigium exstat, nec videntur aliarum quibus usus sum syllogarum exempla primum alterumve post Christum saeculum antecedere; inde ab hoc vero tempore talia frequentissima sunt et unam fere declinationem Eutychetis Eutycheti praebent. Ita in Neapolitanis inscriptionibus Mommseni metaplasmus ille duodecies conspicitur, alia forma ne semel quidem: Eutychetis 2465, Eutycheti 486. 3209. 3251. 4123. 5655. 6042. 6382. 6420. 7039. 7043, 2. 7140; in Hispanis Huebneri (Corp. inscr. lat. vol. II) Eutychetis 4975, 40, Eutycheti 4289. 4314. 4602, alia declinatio nusquam. In titulo enim 2554 eorum loco, quae sic traduntur corrupta ‘sub cura | L. Aureli

*) Intellego propriorum nominum graecorum lexicon Papei retractatum correctumque a Benselero, a quo longe plurimos graecorum monumentorum locos hac commentatione prolatos me mutuatum esse semel dico.

Eutychis et | A. VLP. PROC. et Val | Sempronian.', Huebnerus probabiliter exhibet 'sub cura L. Aureli Eutych[etis?] Au[gustorum] l[iberti] proc[uratoris]' e. q. s. In Orelliana collectione Eutychetis habetur inscr. 1694 a Neap. 2465 non diversa, porro 7205, Eutycheti 2803. 4412. 4550. 4685. 4690. 5079. Praeterea Eutychetis etiam in inscr. 2428 exstat, cuius tamen de fide ut Brancatellianae cum non satis constet (v. Mommsenum in Actis societ. Saxon. a. 1850 p. 266 sq. et Henzenum Or. III p. 214), hoc exemplo Neuius l. s. s. uti non debuit. Praeterea paucissimae declinationis, quae est Eutychae Eutyche Eutychen Eutyche, reliquiae reperiuntur, ut Eutyche dativus Grut. 924, 9, Eutyche ablativus C. I. L. IV (Inscr. pariet. Pomp. Hercul. Stab. Zangemeisteri) 2576 et Or. 4436, cum Eutychis Eutychi Eutychem formarum in multis quas perlustravi inscriptionibus certum exemplum investigaverim nullum. Generatim igitur loquenti suo iure licet adfirmare dominari in hoc vocabulo metaplasmum. Quodsi quis dixerit Eutyche dativum et Eutyche ablativum non eadem aetate in usu fuisse qua Eutychetis Eutycheti, sed ita ea diversis temporibus discreta esse, ut illa declinatio vetustioribus, inferioribus haec praevaluerit, quid ei respondeamus? Omnium quas modo enumeravi inscriptionum quinque tantum temporis nota magis minusve certa distinctae sunt: C. I. L. IV, 2576 (Eutyche) ante a. p. Chr. n. 79 exarata; Or. 4412 (Eutycheti) anno p. Chr. 107; Or. 1694 = Neap. 2465 (Eutychetis) anno 168; Or. 2625 (Eutychae) anno 169; Or. 7205 (Eutychetis) anno 197 propter consules in his titulis memoratos tribuendae. Itaque si vel illud concedimus, inscriptionum, quae temporis nota destitutae Eutychetis Eutycheti praebeant, nullam anno 107 priorem esse, dubitationem tamen non habet, quin a centesimo fere anno metaplasmus longe praevaluerit. Utrum ante hoc tempus res pariter necne sese habuerit, ignoramus; certe unum illud Eutyche in inscriptione parietaria exstans non nimium huic opinioni adversari putaverim. Declinatio contra, quae est Eutychis Eutychi Eutychem, a latinitate tertio p. Chr. saeculo priore omnino abiudicanda videtur. Quin etiam Cassiodorus, qui sexto fuit saeculo, in rubricis p. 2280 et 2311 fortasse non dixit *Eutychis de aspiratione,* quamquam ad hanc scripturam priore loco omnes codices nos ducunt, cum in Bernensi 330 *euthis,* corr. *eutithis,* in Paris. 7495 *uticis* sit, — altero loco saltem pars codicum eodem spectat, cum idem

ille Bernensis *eutichis* deleta postea *s* littera habeat, Bern. 243 *eutis*, corr. al. man. *eutius*, sed *Eutychetis de aspiratione*, cum p. 2311 cod. Paris. 7495 *euticetis* exhibeat (v. Keilii Gramm. lat. vol. V p. 445). Ne accusativo quidem *Eutychem* Cassiodorus usus est, sed *Eutychen* de instit. divin. script. c. 30 p. 478 ed. Genev. a. 1656, quocum optime conveniunt quae supra de duplici, non triplici declinatione disseruimus. Ceterum recorderis velim Schneidero teste alios quoque scriptores ecclesiasticos Eutychetis forma usos esse.

Postremo quod ad originem attinet, putatur ab omnibus Εὐτύχητος Graecis non fuisse in usu, sed a Latinis demum per metaplasmum Eutyches, ad quem Θάλης Λάχης Κράτης cum similibus induxerint, sic declinari. Qua tamen in re suspitionem quandam meam tacere nolo, de metaplasmo Latinorum proprio non esse cogitandum. Cum enim C. I. Gr. 6479 Τύχης nominis dativus Τύχητι legatur, non dissimile veri est etiam Εὐτύχητος recentioribus saltem Graecis usitatum fuisse, cuius coniecturae probabilitas admodum augeretur, si C. I. Gr. 5060, 2 Niebuhriana scriptura Εὐτυχᾶτος, quam iniuria Benselerus pro certa exhibet, maiore niteretur auctoritate.

Transeo ad Hermes cognomen ex omnibus, quae huc spectantia in titulis leguntur, longe tritissimum, a quo Latinos non modo Hermae genetivum, verum etiam Hermetis derivasse nemo nescit; notabile vero est Hermetis et reliqua admodum Latinis fuisse usitata, quin etiam multo Hermae declinatione frequentiora, quamquam Ἕρμητος a graeca lingua abhorruit. Errat enim Benselerus, quod C. I. Gr. 8563 illud exstare putat, cum ibi potius Μ[ά]ρκι Ἄννι Ἕρμητις legatur, latinae igitur formae graecis litteris, ut saepissime, exprimantur, id quod editorem quoque fugit Μ[α]ρκί[ου] Ἀννί[ου] Ἕρμητις proponentem. Ceterum vere me dixisse Hermae cum similibus multo fuisse rariora quam Hermetis et cetera, facile tibi persuadere poteris quamlibet inscriptionum syllogam perlegens. Ita in Neapolitanis inscriptionibus Hermetis exstat 1214. 2643 (= Or. 6387). 3057. 3146. 6310, 36. 6310, 205. 6541. 6542. 7081, Hermeti 1255. 1724. 2940. 3148. 3189. 3414. 5087. 5196. 7089 (= Or. 6203), Hermet contubernal 771; Hermae 453, 5 (a. p. Chr. 108). 2341. 2824. 2873. 6873; — in Hispanis Hermetis 3919, Hermeti 4374. 4527, Hermae nusquam; — in Orellianis Hermetis 1727. 2948. 5433 (a. p. Chr. 86). 6387 (= Neap.

2643), Hermeti 2145. 2417 (in decreto anni p. Chr. 153). 2468. 2888. 4823. 6203 (= Neap. 7089). 6752 (circa a. p. Chr. 200). 7358, Hermete 2417. 3032. 5015 (a. p. Chr. 177). 5073; Hermae 1465 (Claudii temp.). 1900 (a. p. Chr. 374). 2905. 2943. 2964; — in Brambachii Corp. inscr. Rhen. Hermetis 2005, 1, Hermetem 1064, Hermae nusquam*). Si porro consideraveris numquam necesse esse Hermae referri ad Hermes, sed posse semper ad Herma quoque vel Hermas**), intelleges quantopere Latini in Hermes voce metaplasmum illum adamaverint. Tertia forma, de qua possit cogitari, Hermis omnino aliena fuit a Latinorum consuetudine, quode conferas velim Charisium p. 68 K.: 'Chremes et Laches apud comicos varie declinantur, modo huius Chremis, modo huius Chremetis, Lachis Lachetis; Hermes***) autem Hermetis tantum, ut Socrates Socratis tantum.'

---

*) Eorum gratia, si qui alia corpora huius cognominis caussa perlustrare voluerint, moneo in C. I. L. vol. I et IV, item in Christianis inscriptionibus quas edidit De-Rossius, nullum alterutrius declinationis vestigium deprehendi.

**) Memorabile est Herma multo esse rarius quam Hermes. Ita in Neapolitanis inscriptionibus Hermes (Hirmis Ermes) legitur 128 = 2956. 503. 982. 2383 (*a. g* II, 11. *g* III, 64. *g* III, 65. *k*). 2767. 2812. 2956. 2973. 3147. 3207. 3267. 3359. 3694. 5372. 5376. 6677. 6769 (a. p. Chr. 70: V, 13. VI, 6. VI, 34. VI, 62. VI, 74. VII, 77. VIII, 56. VIII, 63). 6773 (Vespasiani temp.). 6780. 6833 III, 5. 7022. 7023. 7031. 7064. 7115. 7124. 7202; Herma 1678. 2103. 2383 *g* II, 4. 2560, 4. 6780 (bis); — in Orellianis Hermes 5 (a. p. Chr. 136). 46. 367. 782 (a. p. Chr. 100). 828 (Hadriani temp.). 1557 (genuina?). 1696 (bis). 1925. 2139. 2417. 2450. 2504. 2525. 2667. 2812. 2934 bis (tertii saec. init.). 2957. 3016. 3024. 3097 (= Neap. 6773, Vespasiani temp.). 3355. 3998. 4089. 4137. 4152. 4221. 4228. 4417. 4421. 4513. 4544. 4725 bis. 4776. 4796. 4824. 4927. 5801. 5848. 6322. 6445 (kalendar. a. p. Chr. 37—51). 6545 (a. p. Ch. 100). 6791 (a. p. Chr. 210). 7046. 7338. 7339. 7358. 7412; Herma 79. 820 (Hadriani temp.). 1593. 1728. 2110. 2201. 4008 (Hermas). 4349. 5403 (Claudii temp.). 6070; — in C. I. L. vol. I Hermes 776b; — in vol. IV Hermes 85. 241. 544. 545. 1365 (cognomen?). 1511. 1723. 2341. 2367. 3145a (IIRMES); Herma 2508, 24; — in C. I. Rhen. Hermes 1629; — in inscr. Hispan. Hermes 133. 205. 1061. 1456. 1481. 1733. 3806; Herma 1195. 1733. 3756. 3938. 4349. 4974. 21.

***) Extrema Charisii verba *Hermes autem* e. q. s. utrum item ad comicos spectent an generaliter dicta sint, dubito, cum neque Hermes cognomen nunc certe apud illos exstet neque omnino metaplasmi illius exemplum. *Socratem* quidem unus locus suppeditat Plautinus Pseuduli v. 465.

Ut a Salamin stirpe nominativus derivatus est Salamin-a, ab Aethiop Aethiop-us, a Briseid Briseid-a (v. Neuium I p. 329 sq.), a Paederot Paederot-us Grut. 251 col. ult., ita ab Hermet Herme-tus Or. 4453.*) Idem restituendum est Or. 4506, ubi (T. Flavius) Hervetvs proditur exemplis destitutum.

Pergo nunc ad nomina in *cles* finita, quae aliquoties genetivum in *cletis* desinentem habere Charisius l. s. s. docet Pericletis et Stratocletis usus exemplis. Nomina huius generis, si cum Eutyches comparamus, triplex conspicitur discrepantia. Cum enim Eutyches inferiore demum tempore in latinis monumentis reperiatur, nomina in *cles* terminata vel antiquissimis traduntur. Porro Eutyches ubi primum apparet, statim Eutychetis praebet, nomina contra in *cles* exeuntia initio quidem aut genetivos in *clis* finitos aut in *cli*. Denique recentiore quoque aetate praeter formas in *cletis* desinentes etiam vetustiores illae in *clis* exeuntes usitatae fuerunt, cum Eutychetis declinatio singulare quoddam imperium sibi adrogaverit. Ut nunc mittam exempla apud scriptores exstantia, quae cum alii congesserunt tum copiosissime Neuius I 340, C. I. L. vol. I unum suppeditat Agatocli dativum 1217, cum metaplasmi exempla desint; inscriptiones Neapolitanae iuxta offerunt dativos Agatocli 3928 (= C. I. L. I 1217), Diocli 1561. 1652 (= Or. 4258), Diocle 3710 et Diocletis 2646, 16 (= Or. 4405), Diocleti 7149; sylloge Orelliana quinquies *clis* declinationem exhibet, et Dioclis quidem 3610, Diocli 4258 (= Neap. 1652), Eurycli 2761 et

*) [Valde suspectum esse hunc titulum Huebnero auctore significabam Mus. Rhen. t. XIX (a. 1864) p. 463. Vnde multo etiam certius tesseram illam gladiatoriam, eamque non osseam sed aeream, damnandam esse apparuit idem Hermetus nomen offerentem, quam iam in Commentariis academiae Bavaricae cl. I vol. X part. 2 (anni 1864) p. 303 reieceram ut noviciam. Vbi comparatam nominis formam Hermetione (apud Orellium n. 2325, in Lugdunensibus Boissieui p. 36) facile intellegitur non ab Hermetus, sed ab Hermetis genetivo ductam esse. — De fide autem Orellianae n. 4506 quamquam scrupulum inicere mira formarum Hervetvs Philetvs Epitymetvs (sic) congruentia possit, tamen satis illam firmat Amadutii testimonium in 'Anecdotis litter. ex mss. cod. erutis' (ed. Romae a. 1773) vol. I p. 473, ubi 'Romae repertum lapidem in vinea extra portam Capenam anno 1773, nunc esse in ambulacro aedium Vaticanarum' prodidit. Itaque Hevretvs potius scriptum fuisse Henzenus conicit, quod nomen exstare in Hispana Huebneri n. 1157.

F. R.]

5451, Hierocli 2823, *cletis* autem bis, Diocletis 4405 (= Neap. 2646, 16), Hieroclete 513; syllogae Huebneriana, Rossiana, Zangemeisteriana exemplis carent. Sex autem ex his inscriptionum aliquatenus definiri aetas potest. Namque C. I. L. I, 1217 (Agatocli) certo ante Caesaris mortem exarata est, inscr. Or. 5451 (Eurycli) Traiani aetate, Or. 2761 (Eurycli) anno p. Chr. 169; Or. 513 (Hieroclete) ad tertii saeculi finem i. e. ad Diocletiani tempora pertinet, Neap. 7149 (Diocleti) ad annum p. Chr. 362, neque Orellianam 4405 = Neap. 2646, 16 (Diocletis) imperatoria aetate priorem esse *quum* forma docet: quode v. Brambachium 'die Neugestaltung der lateinischen Orthographie' p. 223 sq. Confirmatur igitur inscriptionibus quod de scriptoribus constat, ante Christum natum declinationi quae est *cletis* non fuisse locum, sed inferiore demum aetate, quam accuratius terminare nequeo, in usum eam venisse: quicum optime convenit et Eutyches cognominis similitudo et Dioclet-ianus formae recens aetas. Quapropter meo sensu parum probabilis est Th. Bergkii coniectura Trinummi Plautinae v. 1183 pro Callicli corrupta librorum scriptura in Diariis antiq. stud. anni 1848 p. 1126 Callicletis proponentis, quod quidem Ritschelius et Fleckeisenus receperunt, ille tamen adnotans 'quamquam in his quidem' (i. e. inscriptionibus) 'fatendum est Plautinae aetatis atque adeo septimi ab u. c. saeculi exemplum desiderari'*). Quo modo locus difficilis sanandus sit, non meum est diiudicare; illud quidem persuasum habeo, et Calliclei, quod postea Bergkius commendavit Philol. vol. XIV p. 185, et Calliculi vel Callicoli a Crainio proposita in Diariis gymnas. Berol. a. 1866 p. 475 vel specie probabilitatis esse destituta. Ceterum Diocletis et similia recenti tempore non infimae tantum plebi fuisse usitata, sed eruditione quoque cultis hominibus, et Dioclete Lactantianum et Diocletianus imperatoris nomen et Pericletis Stratocletisque a Charisio tradita satis superque demonstrant.

Veri autem est simillimum ne in his quidem nominibus metaplasmum agnoscendum esse Latinis peculiarem, sed graecis

*) [quippe casui id quidem, ut in simili genere multa, tribuens, non igitur inde petito argumento convinci Bergkianam coniecturam existimans. Nec enim veri simile est e recentioribus potius quam ex antiquioribus scriptoribus *Pericletis Stratocletis* formas in eas, e quibus sua Charisius hausit, copias transiise. Non minus apud Plautum solitaria est Soterinis declinatio, de qua vide §. 6. F. R.]

eos exemplis ad hanc declinationem adductos esse, cum Ἡρακλᾶς genetivum habeat Ἡρακλᾶτος (v. § 4), Ἡρακλεῖς Ἡρακλεῖτος (v. Sturzii librum de dialecto Maced. et Alexandr. p. 135 sq.), Εὐκλῆς Εὐκλῆτος (C. I. Gr. 6623, 6).

Transeo ad nomina in *genes* terminata, quae aliquoties quidem metaplasmum illum passa sunt, multo vero saepius in titulis quoque alteram declinationem in *is* desinentem praebent scriptoribus unice usitatam. Syllogarum quibus usus sum*) duae tantum exempla suppeditant, inscr. Neapolitanae et Orellianae cum Henzenianis, atque illae quidem viginti declinationis in *is* finitae, unum metaplasmi, hae sex declinationis in *is* exeuntis, duo metaplasmi. Sunt autem haec quae infra posui:

Diogenis Neap. 3115. 4512. Diogeni Neap. 2697. 2772. 4512. 5795 Or. 4824. 6571. 6882. 7311	Diogeneti Or. 4869
	Eugenetis Or. 4854
Hermogenis Neap. 2796 (H[ermo]genis). Or. 7172 (Anton. Pii temp.)	
Hermogeni Neap. 1329 ([Her]mogeni)	
Oecogeni Neap. 1598	
Perigenis Neap. 6876	
Philogeni Neap. 329 ([Ph]ilogeni)	
Primogeni Neap. 368. 1159. 2357. 3427. 3779. 3786. 3965. 4722 (= Or. 6400)	Protogeneti Neap. 1229
Theogeni Neap. 3733	

Restant singula in copiis meis declinationem in *etis* terminatam praebentia, ex quibus in primo loco pono quae ad certam aetatem referre licet. Huc pertinet Eusebetis Or. 5442 (a. p. Chr. 104). Neap. 3099; deinde Euprepetis Or. 6029 (a. 202), quo Charisii testimonium confirmatur Eumenetis et Euprepetis adferentis p. 68. Quod ad Eumenetis attinet, id etsi alterum ubi exstet locum non habeo cognitum, apte tamen comparari potest Θειομένητος genetivus in scholiis ad Apollonium Rhodium I, 131. Sequitur Προσήνης nominis (v. lex. Bensel.) dativus Proseneti et in inscr. Or. 6344 et in Ross. 5 exstans, quarum illa circa annum 200, haec anno 217 facta est. Iohannes

*) Adhibui conscribendae huic commentationi imprimis C. I. L. vol. I, II, IV, inscriptiones Neapolitanas, Orellianas, Henzenianas, Rossianas: ex quibus quae congessi, brevitatis caussa aliquoties 'copias meas' adpellavi.

nomen, quod hebraicae originis per Graecos ad Latinos pervenit et apud illos solum ου genetivum habet, inde a quarto saeculo in latinis inscriptionibus reperitur et dupliciter quidem declinatum, aut Iohannis, aut Iohannetis vel potius propter mutatam pronuntiationem Iohannitis. Errare enim De-Rossius videtur, quod ad inscriptionis 1341 verba ‘[locu]s Iohanniti[s]’ adnotat Iohannitis pro Iohannis sextum prodere saeculum, siquidem in eiusdem syllogae inscriptione 338 ad annum 384 pertinente pro Ioannti scribendum est Ioanniti. Genetivus porro Iohannitis habetur in inscr. Ross. 975 et Ioannitis 977, quarum illa aut anno 521 aut 525, haec anno 522 tributa est. Quamquam usitatiores sunt alterae formae Iohannis Iohanni, ceterae; nam Iohannis quidem genetivus exstat Ross. 648 (a. 425). 798 (a. 457), Ioannis 799 (a. 457), Iohanni genetivus 644 (a. 425), Iohanni dativus Or. 1142 (quarti saeculi fin.), Iohanne ablativus Ross. 1064 (a. 538), Ioanne 1096 (a. 563), [Io]anne 1161 (a. 467), [Ioa]nne 1066 (a. 538). Exceptis inscriptionibus Rossianis et Orellianis nulla earum, quas in usum meum converti, syllogarum exemplum alterutrius declinationis offert ullum. — Sequantur ea, quae in titulis leguntur temporis nota carentibus chorumque ducant Apeliti*) et Apelleti dativi, qui Or. 1175 iuxta habentur. Porro Borustheneti cognominis dativus Neap. 2922 reperitur, sed ‘ultra Borusthenem’ Or. 750 in monumento historico ad Vespasiani tempora pertinente; Maētis denique sive Mahetis Μάης nominis (v. lex. Bensel.) genetivus C. I. L. II 4970, 291 et 4970, 62 (Mahet[is]) exstat, Maheti dativus 4685. Niceti vero (Neap. 6835), quod falso Mommsenus in indice ad nominativum Nices rettulit exemplis destitutum, ad Νικήτης potius nomen frequentissimum (v. lex. Bensel.) pertinet, ut Oresti dativus Neap. 4940 ad Ὀρέστης. Quae in extremo loco posui cui tempori vindicanda sint, accurate statui nequit; illud tamen apertum est, cum nullum adhuc metaplasmi illius cognoverimus exemplum, quod primum p. Chr. saeculum antecedat, ne haec quidem priori aetati esse tribuenda. Ceterum unum ex his nomen, de quo certius quid sciamus, Apelles est, quippe quod apud Petronium Arbitrum, id est Neronis aetate (cf. Orellium ad inscr. 1175 contra Niebuhrium disputantem et

*) Hanc veram esse scripturam, non Apelliti, Henzenus docet Or. vol. III p. 124.

Buechelerum in editionis praefatione p. V), praeter Apellis genetivum (p. 98 ed. Buech.) Apelletem accusativum habeat (p. 76), declinationem a Prisciano quoque lib. VI p. 245 ed. Hertz. memoratam: unde consectarium fuerit non infimam modo multitudinem sic locutam esse.

Sed recentissimae aetatis homunculi plebeii etiam longius progressi sua quoque nomina, quae quintam secuntur declinationem, transformarunt, ut Ispes (= Spes) Ispetis, quode confer Buechelerum 'Grundriss d. latein. Declin.' p. 36 et Schuchardtum vol. I p. 34.

Haec erant, quae ad perspicuam huius metaplasmi imaginem exprimendam sufficere viderentur. Pauca alia exempla, de quibus quod utiliter adderem non habebam, consulto omisi. Quae qui gestit cognoscere, inspiciat velim Priscianum l. s. s., indicem thesauri Gruteriani, Neuii librum l. s. s.

§ 2.

Eosdem porro genetivos in *etis* finitos etiam feminina offerunt in *e* desinentia, ut Hedonetis Zosimetis pro Hedones Zosimes. Sed quattuor res sunt, quibus talia ab eis quae antea tractavimus discrepant. Primum enim numquam ita dominatum obtinuerunt ut Eutychetis, sed semper pro exceptione habita sunt. Deinde ad recentiorem aetatem spectant. Cum enim nominum in *es* exeuntium genetivi in *etis* terminati inde a primo p. Chr. saeculo reperiantur, contra Irenetis Hedonetis et similia, si ea respicio quae temporis notam habentia mihi in promptu sunt, non videntur tertium saeculum superare. Tertium discrimen in eo positum est, quod Zosimetis Hedonetis et reliqua neque a veteribus grammaticis commemorantur neque in aliorum scriptorum libris leguntur, sed in solis inscriptionibus eisque omnibus privatorum hominum, plerumque libertorum iussu confectis, unde consequitur hunc metaplasmum linguae vulgaris fines non excessisse. Quartum denique idque gravissimum hoc est, quod, cum Eutychetis Eusebetis, alia, magis minusve graecae linguae similitudine nitantur, Ἡδονῆτος Ζωσίμητος vel similia in graecis monumentis non habentur. — Iam vero quaestio instituenda est de mirae huius declinationis origine huc usque non enucleata. Quod enim Schuchardtus I p. 231 adnot. Θάλητος Χάρητος omnium Graecorum communia, et Ἀννῆτος Βελλῆτος Πάσιτος Σαραπιοῦτος Alexandrinae dialecti propria in memoriam

revocat, illis quidem optime explicatur quem ad modum Euprepetis Iohannitis cum similibus orta sint, nihil vero proficitur in Zosimetis Hedonetis formis, quippe quae non ad Zosimes Hedones nominativos, sed ad Zosime nimirum et Hedone referendae sint. Simplicissima eius rei explicatio est, nec fugisset viros doctos, si satis considerassent quod supra monuimus, ad solam plebem rusticamque multitudinem eum metaplasmum pertinere. Atque ut breviter dicam quae mea sit sententia: cum in lingua rustica omnium fere temporum *s* littera casus primi non pronuntiaretur, factum est ut masculinorum in *es* et femininorum in *e* exeuntium par exsisteret declinatio. Sunt autem pauca addenda de nominativi singularis *s* finali, quem quidem locum Corssenus lib. de pronuntiatione vol. I p. 285—94 plenissime tractavit, verum ita tamen, ut, nisi adiciam quaedam, de eis quas nunc exploramus vocibus dubitationi locus relinquatur. Atque in antiquissimis monumentis bello Punico secundo prioribus vocabula in *os* vel *us* terminata *s* finalem modo scriptam praebent, modo omissam, ut iuxta reperiantur 'Pulio' 'Cornelio' 'Modio' — 'Novios' 'Oinomavos' 'Archelaos' — 'Cornelius' 'Lucius' 'Barbatus' (v. Corssenum l. s. s. p. 286 et 287), cum circa Gracchorum aetatem *s* semper fere scripta reperiatur, qua in re versus hexametri vis perspicitur (v. Ritschelium in Prisc. lat. monum. epigr. p. 123 et Corssenum l. s. s. p. 288). Nominibus in *os* vel *us* desinentibus exceptis raro quidem antiquo tempore *s* neglegitur, exstant tamen exempla 'maio' = 'maios' 'mino' = 'minos'*), 'militare' = 'militares' (v. Corssenum l. s. s. p. 291). Discimus porro ex Ciceronis Oratore c. 48, 161 illo tempore rusticos *us* syllabae litteram finalem detraxisse ante consonam, quod testimonium inscriptionibus confirmatur. C. Caesaris quoque priorumque imperatorum aetate exarati tituli talia suppeditant qualia sunt 'Philarguru' 'Cyrnu' 'Polucarpu'. Plurima vero *s* abiectae exempla recentissimi temporis monumenta exhibent, quode vide Corssenum l. s. s. p. 292 cum alios nominativos adferentem tum hos: 'Longinu' 'Theodoru' 'filio' 'Liberio' 'vico' 'pulverario' 'qui' 'incomparabili' 'admirabili'. Haec et alia considerans eisque nisus inscriptionibus, quae certam temporis notam ferunt, Corssenus concludit ineunte saeculo quarto

*) [De his aliter statuendum videri dixi Mus. Rhen. XIV (a. 1859) p. 399. F. R.]

s finalem in vulgari lingua non iam pronuntiatam esse, antea autem admodum submisse. Corsseni exempla si perlustraveris, tria tantum inter ea esse videbis, quibus in *es* quoque finitorum verborum litteram finalem abiectam esse probetur, 'militare' pro 'militares' id est 'militaris' C. I. L. I, 63, 'Dite' pro 'Dites' id est 'Ditis' ibidem 818, 'Castrese' pro 'castrenses' id est 'castrensis' Bull. d. Inst. Rom. a. 1865 p. 185, ex quibus duo priora ad liberae rei publicae, hoc ad primorum certe imperatorum tempora pertinent. His adde C. I. L. vol. IV, 2310 k, ubi Aeneidis lib. IX versus 404 hanc speciem praebet: 'Tu dea, tu prese (id est 'praesens') nostro succurre labore.' Inferioris memoriae sunt Neap. 3965 'Primogeni — minori Primogene ['sic' Mommsenus] maio(r) (et) Urbanus posuerunt', Neap. 129 'L. Appuleius Menocrate'*), Neap. 4702 Farnace**), C. I. L. II, 4970, 291 'Maës Maëtis Mahe Mahetis', Or. 6042 b Achille. Quid autem, si nomina feminina in *e* exeuntia adferam, quibus falso *s* adfixa est? Nonne tum omni vacabit dubitatione, masculina cum femininis confluxisse? Ecce vero habes Neap. 5880 'P. Postumio P. l. Synopato P. Postumio P. l. Hilarioni Postumia P. l. Nices', ubi Nices non esse casus nominativus nequit, et Or. 6147 'D. M. Murtius Verinus pater Murtie Verine et Murtie Florianeni (a 'Floriane') filiabus male merentibus crudelis pater titulum iscripsit. Verina percepit m. X vicxit annos XII menses V, Florianes percepit m. XII, vicxit annis VIII m. III' etc., ubi non magis de Florianes nominativo ambigi potest.

Iam vero, postquam intelleximus unde mirabilis illa declinatio profecta sit, videamus singula. Insunt autem in copiis meis haec exempla: Hedoneti Neap. 6843, Irenetis Neap. 3198, Ireneti Neap. 6710, Zosimetis Ross. 126 (a. p. Chr. 355), Hermioneti ibid. 326 (a. p. Chr. 383), [locus Herm]ionetis ibid. 761 (a. 452), Cyriacetis Or. 4331, Cyriaceti ibid. 2742, Quiriaceti a Cyriaceti non diversum Ross. 384 (a. 390), Acnite pro Hagnete, Ἁγνή nominis ablativus, ibid. 894 (a. 490), Agapeties ab Ἀγάπη ibid. 601 (a. 415), item pro Agapetis scriptum, atque Phyrallinie Neap. 6921 pro Pyrallini a Πυραλλίς (vide § 6). Idem metaplasmus vel in latina

*) Menocrate traditur; Mommsenus explicandi causa, si recte eum interpretor, MENOCRATes vulgavit.

**) Farnace traditur; FARNACEs Mommsenus.

feminina irrepsit, postquam factum est ut his quoque interdum nominativus in *e* terminatus tribueretur. Graeci enim, ut consentaneum est, latinum nomen Augustiana reddebant Αὐγουστιάνα vel Αὐγουστιανή formis, quarum alteram cum saepe Latini ex illis audirent, ipsi coeperunt Augustiane quoque dicere (Neap. 6460). Neque raro praeter formam latine conversam ipsum graecum exemplum conspicitur quod mutationem effecit. Ita non modo Claudiane Neap. 3837, Flaviane 7174, Iuliane 1454, Marciane 2699, Rome 6935 traduntur, sed etiam Κλαυδιανή Φλαβιανή Ἰουλιανή Μαρκιανή Ῥώμη (v. lex. Bensel.). Alia graecis exemplis destituta sunt, ut Felicissime Neap. 7173, Flore 7200, Iuniane 1636, Mercurane 7138, Mummiane 1671, Pompeiane 6723, Apule 134=5389. Itaque ab his quoque nominativis genetivi in *etis* desinentes ducti sunt, quales inscriptiones Neapolitanae offerunt Marianeti 2990, Pompeianeti 6723, Flavianeti 6941, Felicissimete 7173, Mercuraneti 7183; Rossianae Marcianaet id est Marcianeti 10 (a. 268 vel 297), Mercurianeti 114 (a. 352), Erotianeti 143 (a. 360); Orellianae Macarianetis et [Maca]rianeti 6359. Quod autem hoc loco nonnulla enumeravi graecam stirpem habentia, quamquam nunc de latinis vocibus ago, nemo mirabitur, qui reputaverit *iana* terminationem in illis quoque latinam esse. Quae enim in graecis monumentis apparent ιανος vel ιανη exitu formata, omnia ad infima tempora spectant et plerumque a Latinis transformata ad Graecos rediisse putanda sunt. Ceterum alia huius metaplasmi exempla qui cognoscere volet, ante omnes inspiciat Reinesii Syntagma inscr. XX, 114, Ritschelii Spicilegium epigraphicum in indice scholar. aestiv. Vratislav. a. 1838 p. 8, Iahnii Specimen epigraphicum p. 74, Schuchardti lib. de vocalibus I p. 34.

§ 3.

Liceat mihi hac tertia paragrapho graeca nomina in ης ητος exeuntia, quae in caussa fuerunt metaplasmi, ante oculos proponere, ut lex perspiciatur, quam vetustiore saltem tempore Graeci constanter secuti sunt. Accurate enim nomina illa perscrutantem fugere nequit ea aetate, qua vigebant litterae graecae ac florebant (eam dico quae, ut certo termino utar, Alexandri Magni mortem antecedit), nullum fere exemplum conspici nominis in ης ητος desinentis compositi, sed omnia quae huc valent esse

simplicia. Quae autem ad illud tempus pertinent, ita sum enumeraturus, ut unum cuique locum pro multis adponam, ubi casus aliquis obliquus legatur, non curans utrum declinatio in ητος terminata sola fuerit in usu an alia iuxta exstiterit, cum id ad nostrum propositum nullius sit momenti. Atque nomina, quae graecae esse originis aut confidenter adfirmare aut probabiliter conicere liceat, in promptu habeo haec: Δάρης Iliad. V, 27, Θάλης Aristot. Polit. II, 9, Κέβης Plat. Phaed. p. 63, Κέλης Plat. apud Athenaeum X, 442 a, Κουρής (Κουρῆτες Κωρῆτες) Iliad. IX, 549, Κράτης fragm. Aristoph. 313 Ddf., Κρής (Κρῆτες) Iliad. III, 230, Κύνης Thucyd. II, 102, Λάβης Aristoph. Vesp. 895 (nomen a poëta fictum). Λάχης Thucyd. III, 86, Μάγνης (Μάγνητες) Thucyd. II, 101, Μάσης Iliad. II, 562, Μέγης Il. (v. lex. Bens.), Μέλης hymn. Homer. 8, 3, Μύνης Iliad. II, 692, Μύης Hecataei apud Steph. Byz. s. v., Ὅπλης (Ὅπλητες) Herodoti V, 66, Πάχης Thucyd. III, 18, Σμίκρης Xenoph. Anab. VI, 3, 4. 5, Τρόμης Demosthen. orat. 18, 129. 130, Φάγρης Thucyd. II, 99, Φέρης Odyss. XI, 259, Χάρης Aristoph. Acharn. 604. — Accedunt barbara graecae terminationis nomina: Δάρδης Xenoph. Anab. I, 4, 10 (exemplum sane incertissimum), Μένδης Herodoti II, 42, Μίσγητες Hecataei apud Steph. Byz., Πίγρης Xenoph. Anab. I, 2, 17, Πύδης Antimachi teste Choerob. in Bekk. An. p. 1416, Τίγρης Xenoph. Anab. IV, 1, 3, Τλῆτες Theopompi apud Steph. Byz. Sententiae supra propositae, a compositis nominibus propriis in ης ητος finitis antiquiorum Graecorum consuetudinem abhorruisse, prima specie tria videntur adversari: Ἀμέλητα Plat. de re publ. X p. 621 A, Θειομένητα Hellanici in scholiis ad Apollonium Rhod. I, 131, Τριφάλητι apud Pollucem IX, 90 fabulae Aristophaneae nomen. Sed Ἀμέλης, quo infernus a Platone fluvius significatur, quamquam constat compositum esse ex α privativa et μελ radice (μέλομαι), tamen nemo nescit vocabula cum α privativa copulata peculiarem quendam locum obtinere, neque inde, quod hoc genus excipiendum sit, consequi ne in cetera quidem composita regulam valuisse. Porro quod Θειομένητα attinet, certissimum est Hellanicum illud non scripsisse, neque ex scholio commemorato quod tale est: Ὕλας Ἡρακλέους ἐρώμενος, υἱὸς Θειοδάμαντος τοῦ Δρύοπος. οὕτω Μνασέας. Ἑλλάνικος δὲ Θειομένητα Θειοδάμαντος καλεῖ, quicquam consequens est nisi hoc, scholiastam apud Hellanicum Θειομένης nomen legisse. Scholiastae igitur haec compositi nominis declinatio relinquatur. Τριφάλης denique nomen

in ipsis comoediae fragmentis non legitur, quamquam insigniores haud dubie Triphaletis partes fuerunt, sed ab antiquis interpretibus constanter declinatur Τριφάλητος. Illos autem etiamsi summus ipsum poetam secutos esse, tamen ex nomine ab Aristophane comice ficto nihil de reliquis concludere licet. — Sed etiam posteriore tempore longe plurima, quae quidem huc pertineant, simplicia fuerunt, quamquam aliquoties sane composita quoque apparent. Sunt autem in promptu, ut ab eis rursus incipiam quae graeca aut sunt aut videntur esse, et rursus unum cuique locum, ubi casus obliquus reperiatur, addam, haec quae subieci: Ἄργης Steph. Byz. s. v. Ἀτρήνη, Ἄρης Steph. Byz. s. v. (Ἄρης, Ἄρητος, ὡς Μένδητος, χωρίον Εὐβοίας), Βρύης in Keilii Analect. epigr. p. 224, Γένης schol. ad. Apollon Rhod. II, 378, Γέρης (v. lex. Bens.), Γνής Γνῆτες (Ἴγνης Ἴγνητες) Choerob. in Bekkeri Anecd. p. 1188 (v. Lobeckium cum in Paralip. p. 308, 111 tum in Pathol. p. 275), Γύμνης Steph. Byz., Δράκης Aeliani Epist. rust. 4, Ἐλέης Strab. VI, 1, 1, Κάλης (v. lex. Bens.), Κεφάλης Choerob. in Bekkeri Anecd. p. 1189, Κόμης Callimachi ibidem p. 1188, Κόρης apud Suidam, Κότης C. I. Gr. 5752 (a. u. c. 543), Κύρης Steph. Byz., Λέβης schol. Apollon. Rhod. I, 308, Μένης C. I. Gr. 217, Μύλης Pausan. III, 1, 1, Ναίης Bekk. Anecd. p. 1189, Πάσης et Πόλλης Suid., Πύρης Athen. XIV p. 620 c, Σέβης Nonni XXVIII, 99, Τέλης C. I. Gr. 1052 ('post olymp. 102, 2, ante Romanorum in Graec. dominationem': Boeckh.), Τύχης C. I. Gr. 6479, Ὑπέρης Plutarch. Quaest. gr. p. 184 ed. Reisk., Φάλης Lucian. in Iove tragoedo 42, Φάνης Diod. Sic. I, 11, Χέρης Suid., Χρέμης schol. Lucian. Tim. c. 29. — In recentioribus monumentis etiam composita reperiri supra diximus, et legitur C. I. Gr. 6623, 6 Ὀκταβίῳ Εὐκλῆτι, memorantur a Polybio V, 3 Νεοκρῆτες: quorum quidem hoc ab illo eo discrepat, quod simplex quoque Κρῆτες exstitit. Quomodo vero Ἀκέλης ητος (Choerob. in Bekk. Anecd. p. 1189) et Ἀφάρης ητος*)

*) Falso Benselerus Ἀφάρητος ad Ἀφαρεύς nominativum refert, cum potius ab Ἀφάρης ductum sit, quod quidem casui tribuendum est quod alibi non proditur, sed perinde praeter Ἀφαρεύς exstitit atque Κούρης Μεγίστης Ἐγχέλης iuxta Κουρεύς Μεγιστεύς Ἐγχελεύς formas (cf. cap. II § 1). Porro et Ἀκέλης nominis, quod omnino nescimus num graecum sit, veriloquium, quo 'langsamen Ganges' significet, et duas illas Ἀφαρεύς vocis interpretationes 'Ohnemantel', 'Kurzweg', evidentia plane esse destituta vix est quod moneam.

(in Plutarchi Parallelis ed. Reisk. p. 252) explicanda sint, profiteor me nescire. — Sequantur peregrina nomina ad inferiorem aetatem pertinentia, ac primo quidem loco latina Ἀνίης ('Anio' fluvius) Dion. Halic. Antiq. Rom. III, 55 p. 558, Κουιῆς ('Quies') C. I. Gr. 3835, Λάρητες ('Lares') apud Plutarch. Quaest. Rom. ed. Reisk. p. 119; porro Aegyptiaca Ἀννῆς et Βελλῆς (v. Sturzium de dial. Maced. et Alex. § 10), Ἰσάλης (v. Sturz. ibidem), Μεντέμης (Μεντόμητι dat.: v. lex. Bensel.), Μεντόνης apud Reuvens 'Lettres' III, 63, Μήνης (v. lex. Bensel.), Ὄρσης C. I. Gr. 5033 (incertissimum exemplum), Πάμης C. I. Gr. 4982, Πετεακόης apud Letronnium 'Recueil des inscr.' II, 234, Στοτάγητι (dat.? incerta scriptura) Papyr. gr. musei Lugduni-Batavi ed Leemans p. 98, Τάγης ibid p. 118 col. 2a v. 11, Τιθόης C. I. Gr. 4716, d, 29 Add. (Τιθοήτους genet.); postremo alia barbara ad diversas gentes pertinentia Ἀδρύμης Polyb. XV, 5, Βάγης C. I. Gr. 2130 (aetatis Tiberianae), Ζάμης Ptolemaei VI, 7, 21, Κάμβλης Athenaei X p. 415c, Μέμβλης Lycophr. v. 1083, Μήλης Choerob. in Bekk. Anecd. p. 1398 (pro Μέλης), Μόργης (Μόργητες) Dionys. Halic. I, 12, 34, Ναρσῆς (v. lex. Bens.), Νέμητες Ptolemaei II, 9, 17, Νίγρης (Νίγρητες) Steph. Byz., Σέρβης Ptolem. IV, 2, 7, Σπίνης Dion. Hal. I, 18, 48, Τάρπητες Strab. XI, 2, 11, Τρεμίλης Steph. Byz. s. Κράγος, Τύνης Polyb. I, 30, Φέλης Ioseph. c. Apion. I, 18.

§ 4.

Non solum nomina in *es* exeuntia declinationem adsciverunt in *etis* terminatam, verum etiam nomina in *as* finita prorsus aequaliter *atis* declinationem, cuius rei exemplum Neuius I p. 64 ex Or. 4656 et 4602 (Orellio suspecta: v. tamen Henzenum t. III p. 483) Niciati adfert. Ei adicias ex eadem collectione sumpta Niciate 4616, Onesati 2939, Papiati II p. 22 (papati appellativum ibid.), Protati 3598, quorum casus recti Νικίας Ὀνησᾶς Παπίας Πρωτᾶς apud Benselerum reperiuntur. Sed haec quoque habent qui facillime expediantur, cum et Latinis talia usitata fuerint qualia sunt Maecenas Maecenatis, Arpinas Arpinatis, Celerinas Celerinatis (Or. 4518 = Neap. 2957), et in graecis monumentis inferioribus nomina in ας exeuntia, ea potissimum quorum ultima syllaba circumflexa est*),

*) Cf. Bentleium Opusc. philol. p. 521 sq. ed. Lips., Schowium ad

praeter genetivum in α finitum alterum quoque ατος praebeant. Sunt vero praesto, quae graecam stirpem aut habeant aut possint certe habere, Γαιωνᾶς C. I. Gr. (v. lex. Bens.), Γύας Plutarch. in Dionis vita c. 37 (γύατα codices, Γύαρτα Sintenis), Διωνυτᾶς C. I. Gr. 6372, Εὐτυχᾶς ibid. 5060, 2 (cf. tamen § 1), Ἡρακλᾶς (v. lex. Bens.), Λεοντᾶς C. I. Gr. 4716d, 22 Add., Πανᾶς ibid. 4930e Add. (Papyr. Taurinens. ed. Peyron I, 1. 19 p. 24), Πρωτᾶς in Letronnii 'Recueil' II, 161, Φωκᾶς C. I. Gr. 9731; quod contra aperte barbara sunt, praecipue Aegyptiàca, Ἀνουβᾶς C. I. Gr. 4909 (legitur ibi Ἀν[ο]υβᾶτος genetivus), Κομαινᾶς Letronnii 'Recueil' II, 57 et Κωμαινᾶς C. I. Gr. 4913, 8, Μωνᾶς C. I. Gr. 4951, Νινηλᾶς(?) ibid. 5066, Οὐαλερᾶς ibid. 5054, Καραπᾶς apud Letronnium II, 431 (a. p. Chr. 85), Σ[έν]χας C. I. Gr. 5060, Σερᾶς (femininum!) Letronn. II, 140, Σωσᾶς ibid. II, 457. In C. I. Gr. titulo 4909 ad alterum p. Chr. annum pertinente legitur Ἀμμώνιος Διονυσίου εὐχὴν ἐποίησεν Ἴσιδι καὶ Σαράπιδι καὶ τοῖς συννάοις θεοῖς τὸ προσκύνημα Πρωτᾶτος τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ τέκνων καὶ Νίτρου τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τῆς γυναικὸς ΚΑΙΔΗΜΑΤΟΣ καὶ τῶν τ[έ]κνων αὐτῆς καὶ Διονῦτος καὶ Ἀν[ο]υβᾶτος, in quibus Letronnius pro Καιδηματος exemplis destituto admodum probabiliter proposuit Κλιδημᾶτος, quod, si recte eum interpretor, idem esse vult atque Χλιδημᾶτος, stirpe non diversum ab χλίδημα appellativo (cf. Χλίδων ap. Bens.). Num vero accentus recte se habet? Immo Κλιδήματος scribendum. Cum enim numquam a graeco appellativo in μα ματος terminato nomen femininum in μᾶς μᾶτος exiens derivetur, contra nomina in μα ματος desinentia feminis saepenumero imposita sunt, ut Νόειμα id est Νόημα (cf. Keilium in Sylloge inscr. Boeot. p. 170), Ἐπίτευγμα Δώρημα Geuma Toreuma (v. eiusdem excurs. epigr. in Fleckeiseni Annal. a. 1856—57 supplem. II p. 375), Ἀξίωμα Σύνθημα Philoma Zetema (v. eundem in eisdem Annal. a. 1864 supplem. IV p. 617), Anapauma, quod in Anaupauma Neap. 473 inesse existimo et in Orelliana 7263 dilucide legitur, Gramma Neap. 76. Ut tamen ad masculina in ας ατος finita regrediar, sunt quidem haud pauca graecae originis, sed ea omnia ad inferiora tempora spectant, neque dubitari potest, cum nomina in ᾶς exeuntia Alexandrinae dialecti fere propria sint, complura autem eorum,

---

chartam papyr. musei Borgiani, Sturzium de dial. Maced. et Alex. p. 135 sq.

quae genetivum in ατος terminatum habent, Aegyptiorum nomina ut Ἀνουβᾶς Μωνᾶς Σαραπᾶς Σένχας Σωσᾶς, quin plurimum ad talia formanda valuerit Aegyptiorum lingua, praesertim cum etiam in ης ητος desinentium nominum, ut § 3 ostendimus, ις ιτος, υς υτος, ως ωτος, sat multa Aegyptios homines significent. Nomina autem in ις ιτος, υς υτος, ους ουτος, ως ωτος finita haud pauca, ut hoc in transcursu absolvam, Sturzius l. s. s. composuit, alia apud Benselerum exstant, quae cum adhuc nemo in unum locum contulerit, hac data occasione ante oculos proponere liceat. Atque ut a nominibus in ις ιτος exeuntibus proficiscar, tria suppeditat Dorica dialectus Ἄρταμις Ἀρτάμιτος (C. I. Gr. 1172 vitiosa scriptura Ἀρτάμυτι legitur), Θέμις Θέμιτος, Ἀριστόθεμις Ἀριστοθέμιτος (masc.: v. Ahrentem de dial. Dor. p. 240); secuntur Ἶσις, cuius dativus Ἴσιτι exstat apud Letronnium 'Arch. de l'Egypte' p. 473, Σισοῖς (masc.) in Peyroni papyr. Taurinens. I, 5. 8 p. 34, Σνίβλαϊς (masc.: v. lex. Bensel.), Σόγχις (masc.) Plutarch. de Is. et Osir. 10, Τάνηϊς (femin.) in charta papyr. mus. Borg. ed. Schow. col. 1: barbara omnia, potissimum Aegyptiaca. Nomina porro in υς υτος terminata apud Benselerum habentur Λάβυς C. I. Gr. 4716 c, 19 et Πρωτῦς ibidem 4968, quibus addo Διονῦς ibid. 4909, omnia masculini generis. Subsequantur nomina in ους desinentia Λιποῦς (fem.) in Letronnii 'Recueil' II, 181, Σαραπούς (fem.) in eiusdem Letr. 'Représentations zodiacales' p. 23, et masculina Πατεμοστοῦς vel Πετεμοστοῦς (v. lex. Bensel.), Πατοῦς Papyr. Taurin. 1, 5, 16 p. 34, Σπότους (v. Bensel.), Τανεχθούς (v. Bensel.), quae omnia ut videtur ad Aegyptios spectant. Nomina porro in ως ωτος finita, si Ἔρως eiusque composita, Γέλως similiaque ab appellativis ne declinatione quidem diversa exemeris, Benselerus praebet Πτέρως Plat. Phaedr. p. 252 c, Τυφώς (Τυφῶτος quidem declinatio rarissima est) Etym. magn. p. 749, 15, Πάσως (Aegypt.) C. I. Gr. 5023. In fine pono Aegyptiorum nomina Σάμους Papyr. gr. mus. Lugd.-Bat. p. 101 et Σενερίευς Papyr. Taurin. 1, 5, 7 p. 34.

Sed ut ad nomina in *as atis* exeuntia redeam, perinde atque masculina in *es* et feminina in *e* desinentia, etiam masculina in *as* vel *a* et feminina in *a* terminata confluxerunt, eodemque modo quo Eutychetis et Hedonetis, Niciati quoque et Sofiati (cf. Ritschelii Spicileg. epigr. I p. 8) inter se respondent. Aliud est exemplum 'Isiati filiae' Or. 4797.

§ 5.

Transeo ad alium metaplasmum, quem Eros eiusque composita Anteros Phileros cum reliquis passa sunt, cum non modo Erotis Anterotis Philerotis declinationem in volgus notam praebeant, sed in inscriptionibus quidem etiam Eronis Anteronis Phileronis. Huic metaplasmo cum eo, quem § 2 tractavimus, illud est commune, quod ad solam linguam vulgarem pertinet eaque de causa neque a grammaticis umquam memoratur nec apud alios scriptores excepto uno reperitur; differt autem eo, quod multo est antiquior. Sunt enim in promptu apud Petronium, quem Neroniana aetate fuisse § 1 diximus, duo exempla Phileronem p. 53 ed. Buecb. et Niceronem p. 74, ea autem sola, quod sciamus, apud scriptores reperta, nec mutanda tamen, cum in aliis quoque rebus, id quod nemo ignorat, plebeius sermo a Petronio expressus sit. Et Buechelerus quidem praef. p. X non modo multa huius generis exempla profert, verum etiam aptissime monet Phileronem et Niceronem consilio esse rusticis hominibus data. Sed illud ad hunc diem non est exploratum, qua ratione mirabilis profecto declinatio illa orta sit. Dubitat sane Mommsenus in C. I. Neap. indicibus, utrum ab Eron Phileron nominativis Eronis Phileronis derivanda sint, an ab Eros Phileros. At cum neque in graecis monumentis Ἔρων Φιλέρων, neque in latinis exstent, apertum est et prorsus extra controversiam positum ad solos Eros Phileros nominativos illa referenda esse. Coniecerit quispiam originem has formas traxisse a vulgi errore graeca vocabula ἔρως et ἥρως commutantis, Prisciani memor, qui lib. VI p. 255 H. Sophronem παρ' ἡρώνεσσι pro ἥρωσι dixisse tradit, et Heroti Or. 4280 in auxilium advocans, quod per aliquam confusionem pro Herois ab Ἥρως ductum sit. Haec tamen explicatio ideo reicienda est, quod ἥρωνος declinatio Syracusanae dialecti propria non late patuit neque inde, quod Sophron ea usus est, consequens est quattuor post saeculis eandem valuisse. Accedit, quamquam haud ignoro minoris hoc esse momenti, quod Heros et Eros prioris syllabae mensura, ut de adspiratione taceam, differunt, neque talia in graecis monumentis leguntur qualia sunt Φιλήρως Ἀνθήρως Πανήρως. Nec Heroti illo quicquam efficitur, cum nemo nesciat quam saepe in latinis inscriptionibus, recentioribus potissimum, adspiratio falso aut omittatur aut adiciatur. Denique

multo mihi simplicior in promptu est explicatio. Memoravimus § 2 omni aetate *s* nominativi finalem in rustica saltem lingua aut mutam fuisse aut lenissimam, quod cum in Eros quoque eiusque composita haut dubie caderet, haec cum nominibus in *o* finitis, ut Cicero Aculeo Nero, confundebantur eodemque modo, quo ab his Ciceronis Aculeonis Neronis, ab illis Eronis Phileronis Anteronis derivata sunt. Confirmatur autem haec sententia eo, quod exempla in promptu sunt non modo *s* litterae in ipsis Eros Niceros Hermeros neglectae, sed unum certe etiam nominis in *o* exeuntis ex Eros vocis similitudine genetivum praebentis in *otis* terminatum. Habetur enim primum Neap. 6186 '. . lusius L. l. Ero', quamquam hic quidem Ero etiam pro "Ηρων (v. lex. Bens.) accipi possit; deinde autem Neap. 2467 'P. Acilius Hermero' (v. l. 'Hermeron'); porro in Grut. 752, 2 Nicero, quod quidem in talium exemplorum paucitate praetermittere nolui. Denique Neap. 538 legitur 'Terraea Nerotis l. Melaenis', scriptura sane certissima, quippe quam et Mola testetur et Mommsenus; nihilominus hic suspicatur pro Nerotis scribendum esse Nepotis, mutatione profecto lenissima, sed eadem tamen, si quid video, supervacanea. Postquam enim nomina in *o onis* desinentia et nomina in *o otis* finita *s* evanescente misceri coepta sunt, facillime fieri potuit, ut etiam a Nero derivaretur Nerotis. Obicienti vero, parum probabiliter me disputare, quod notissimum nomen falso esse declinatum adfirmem, respondendum est Eros cum suis compositis non minus frequenter libertis servisque impositum nomen fuisse. Postremo quod ad fines attinet atque ambitum eius usus, praeter formas metaplasmum sequentes semper etiam vulgares manserunt, et ita quidem, ut in ipsis titulis multum praevalerent. Habentur autem in inscriptionibus Neapolitanis, Hispanis, Orellianis haec utriusque declinationis exempla quae subieci:

Erotis Neap. 6168. 3230. 3358. 4118. 4301. 7018. C. I. L. II, 1483. Or. 1658. 4349. 4377. Eroti Neap. 1515. 1685 (= Or. 4463). 3851. 4517. 4686. 6907. 7111. Or. 3922. 4271. 4280 (Heroti). Erotem Or. 4358 (saeculi alterius exeuntis)

Eronis Neap. 3739. 3929. 4789. 6310 (126). Or. 2827. 2875 (Eroni[s]). 5050. Eroni Neap. 1503*) (= Or. 3712). 1554. 6949. Erone Neap. 5802**)

*) Praeter rationem Mommsenus pro Eroni commendat Frontino.
**) Interpretatio huius tituli non est certa.

Anterotis Neap. 2270 (pertinet ad annum p. Chr. 32). 2944 (= Or. 4422). 4338. 5797 (= Or. 3962). Or. 1658. 7125. Anteroti Neap. 3088. 3719. 4654. 4780*). Anterotem Or. 6386

Anteronis Neap. 4481. Anteroni Neap. 921

Chryseroti C. I. L. II 4361. Or. 7116

Hermeroti Neap. 1210. 1505. 5333. C. I. L. II, 3181. Or. 2414. 2860. 2949. 5004 ([Herm]eroti). Hermerote Neap. 3090 (= Or. 7411). Hermerot Or. 1524**)

Nicerotis Neap. 6392. Niceroti Neap. 4348. Or. 2766

Nympheroti Neap. 237

Paederoti Neap. 358

Panerotis Or. 6386

Philerotis Neap. 811. 2006 (= Or. 2420). 3693. 4276. 4279. 6380. 7121. Phileroti Neap. 2006. 3707. 3731. 3955. 3977. 4274. 5381 (= Or. 4139). 6073. C. I. L. II, 2281. 3311

Phileronis Neap. 6310 (204)

Synerotis Neap. 3354. 4296. 6924. Or. 4540. 7420 a bis (a. p. Chr. 149). Synerot Neap. 3466. 3851. 5171. 6010. 7036***). Synerote Or. 4544

Syneroni Neap. 1639

C. I. L. volumen I et sylloge Rossiana exemplum nullum praestant.

§ 6.

Ei, quibus explorandis hucusque operam dedimus, metaplasmi imperatoria aetate non videntur priores; quem nunc adgredior explanare, vel in liberae rei publicae titulis habetur. Dico autem eam declinationem, qua graeca nomina, feminina potissimum, in

*) Legitur in titulo ANTERO⁻

**) Hermerotis inesse videtur in 'Hemerotis' C. I. L. IV, 1109. Cum vero secunda et quarta litterae aut *i* aut *e* fuisse possint, Zangemeisterus in indice 'Himerotis' exhibet, quod tamen quid sibi velit non satis intellego.

***) Neap. 4511 traditur Syneroi, quod Mommsenus lenissima mutatione in Synerot convertit. Potuit tamen Syneroni eodem modo in Syneroi abire atque Hilarioni in Hilarioi Neap. 6005. Cf. § 8.

ιc ιδοc vel εωc (ιοc) exeuntia in latinis inscriptionibus praeterea casus obliquos in *inis ini inem ine* terminatos praebent. Huius generis formas primorum potissimum imperatorum tempore creberrimas iam ante C. Caesarem interfectum usitatas fuisse haec C. I. L. vol. I exempla docent: Hymninis 1206 (= Neap. 3681), Hymnini 1059, Lampyrini 1031, ad quae proxime accedunt Pierinis Or. 4715, Sinurini a 'Synoris' C. I. L. IV, 1398, Scepsini ibid. 2201, Mysine ib. 2250, ad primum imperatorum saeculum pertinentia. Cetera quae mihi praesto sunt ex Neap., Hispan., Orell. inscriptionibus congesta — ex Rossianis in hac quidem re nihil discitur — temporis ea plerumque incerti, ita liceat proponere, ut vulgares formae ex adverso ponantur: qua quidem ratione optime, ut puto, ambitus huius metaplasmi perspicietur. Atque initium capio ab Attis, dei illius in recentioribus monumentis saepenumero una cum Magna Matre memorati nomine, quod frequentius Attinis declinatur quam Attidis vel Attis:

Attidis et Attidi Or. 2353 (a. p. Chr. 377). Attidi Or. 1900 (a. 374). 1901. (a. 377). 2264 (a. 377). 2352 (a. 376)	Attinis Or. 1899 (a. 295). Attini Neap. 1398 (= Or. 2330). Neap. 1399 (= Or. 2328: a. p. Chr. 228). 1400. 1401 (= Or. 2329). 5354 ter (= Or. 1903). Attin Or. 1898. 1904. Atthin Neap. 4054 (= Or. 1902). C. I. L. II, 3706
Attis gen. Or. 2320	

Attis excepto masculini exemplum unum habeo Sabatinis Neap. 6622 a Caβάτιc (v. lex. Bens.). Secuntur feminina aut solam in *inis* declinationem, aut et hanc et vulgarem praebentia:

Agathemeridi Neap. 3316	Agathemerimi Neap. 5716. 'Scr. Agathemeridi, quo errore aliquatenus firmatur inscriptio.' Momms. Immo lenissima mutatione Agathemerini scribendum.
	Amarantin Neap. 2906
Ampelidi Neap. 3460. Mommsenus Ampelis cognomini cur asteriscum adposuerit in indice, nescio.	Ampelinis Or. 2758
	Andracini*) Neap. 4999

*) Huic cognomini nihil esse commune cum ἀνδρ stirpe, vix est quod moneam. Est potius Andracinis exaratum pro Antracinis (cf. 'dodationis' Or. 1175), neque differt nomen a graeco appellativo ἀνθρακίc (cf. 'Agatemerus' Neap. 6769 III, 'Agato' Neap. 3566, 'Chrysantus' Neap. 740).

Antiochidi Neap. 124. 3036. 3161. Or. 4626	Antiochinis Neap. 7093. 4679. Antiochini Neap. 4260 (= Or. 7225). Antiochin Neap. 4485. Antiochin et Antiocheni id 'est Antiochini (cf. § 7 et 8) Neap. 5423 (= Or. 7221)
Argyridi Or. 3203	Argyrini Neap. 6501
Charidis Or. 7346. Charidi Neap. 4447. Or. 6291. 4778 = Neap. 360 (inter inscr. falsas vel suspectas)	Charini Neap. 4170. 4794
	Conchinis Neap. 5853
Doridi C. I. L. II, 3217. Neap. 3441. Or. 2444	Dorinis Neap. 7121
	Dynamini Neap. 3830
	Eleutherini Neap. 1078 ([Eleut]herini). 3726 (FIL · VLTERINI traditur, 'Eleuterini' Momms.). 4894 ([El]eutherini). Eleutherine 3032
Helpidis Neap. 6909. 6975. Or. 4772. Elpidi vel Helpidi C. I. L. II, 4372. Neap. 137. 2148. 2812. 3271. 5195. 6513. 6909. 7020. 7116. Or. 2904. 3685 (haud multo post Vespasianum). 4373. 4425. 4619. 4647. 5048	Helpinis et Helpine Or. 4407. Elpini Neap. 2972
	Erini Neap. 1507
Erotidis Neap. 6893 (= Or. 4212)	Erotini Neap. 1260. 2891 (= Or. 2857). 4654. 4783. Or. 2870 ('titulus Ligorio teste nititur': Henzen. Or. vol. III p. 245)
	Glycini Neap. 3827
Laidi Neap. 731. 1511. 5795. 5964	Lainis Neap. 4443. Laini Neap. 3729. 4388. 4662
Nardi Neap. 957	Nardini Neap. 3729
	Nymphin Or. 3812
Pieridi Neap. 233 (susp.). 2824. 3785	Pierini Neap. 5383
Pyrallidis Neap. 6175. Pyrallidi Neap. 803. 5314. 6169 (PYRANDI traditur, 'Pyra[lli]di' Momms.). Or. 2384. 3922. 4996	Phyrallinie id est Pyrallini (cf. 'Agapeties' id est 'Agapetis' Ross. 601) Neap. 6921
	Sabbinis Sabbini Neap. 3851
	Stattini Neap. 1234
	Zmaragdini Neap. 6511

Nimirum in eisdem syllogis permulta exstant et masculina et

feminina unam declinationem sequentia vulgarem, quae tamen, ne chartam perdere videar, praetermitto. Iam vero quaeritur, utrum paenultima brevis fuerit an longa, h. e. utrum talia 'sanguis sanguĭnis' vocem secuta sint, an Καλαμίς Καλαμῖνος ceterorumque nominum graecorum in ις ῖνος desinentium similitudine orta sint. Septem enim in graecis monumentis leguntur huiusmodi nomina: Ἀκτίς ῖνος (masc. et fem.), Δελφίς ῖνος (masc.), Ἐλευσίς ῖνος (masc. et fem.), Καλαμίς ῖνος (fem.), Τελχίς ῖνος (masc. et fem.), Τραχίς ῖνος (fem.), Θίς ινός (fem.): quae ubi reperiantur, Benselerus docebit. Praeter nominativum autem in ις finitum, qui antiquo tempore solus erat in usu, quattuor etiam ιν syllaba terminatum nominativum habent: Ἐλευσίν Καλαμίν Τελχίν Τραχίν, qui etsi et rarior est et recentior, a latinis interdum scriptoribus praelatus est, ut cum alii docent tum Priscianus lib. VI p. 219 H. Qui 'sciendum' inquit 'quod omnia in *in* desinentia etiam in *is* productam finiuntur: *Arin* et *Aris*, *delphin* et *delphis*, *Eleusin* et *Eleusis*, *Trachin* et *Trachis*. et notandum, quod auctores Graecorum in *is* magis terminatione sunt usi, nostri vero frequentius in *in*, quamvis Cicero pro Scauro [I 6]: *cum dare nollet*, inquit, *Aris, clam ex Sardinia est fugere coactus.* in eadem [II 9]: *Arinis uxorem pelicatus dolore concitatam.*' — Aris Arinis, quod nescimus utrum metaplasmo hanc declinationem debeat an graeco exemplo (quoniam in graecis monumentis nominativus quidem legitur, non leguntur casus obliqui), saepius exstat cum apud Ciceronem tum apud alios, quode cf. Schneideri 'Formenlehre' I p. 281 sq. et Neuium I p. 154 sq. Quod ad reliqua attinet a Prisciano allata, Eleusis quidem, Servio quoque cognitum, in scriptorum libris hodie nusquam exstat; delphis multo rarius est quam delphin; Trachin hac forma utitur sola; contra in Aris et Salamis nominativus *is* syllaba finitus unus fere est usitatus (v. Schneiderum et Neuium l. s. s.). Itaque cum etiam in *is ĭnis* exeuntia nomina quae graecam consuetudinem secuntur, rara sint, si nullum nobis esset aliud subsidium, de antepaenultimae mensura iure ambigi posset; omnem vero dubitationem eximit Vidulariae Plautinae locus a Prisciano servatus lib. VII p. 317: 'in *is* productam graeca et latina masculina vel feminina vel communia: hic *delphis* vel *delphin*, huius *delphinis*, hic *Aris*, huius *Arinis*. Cicero pro Scauro: *Arinis uxorem*. haec *Soteris*, huius *Soterinis*. Plautus in Vidularia:

Immo id, quod haec nostra est patria et quod hic meus Pater, illic autem Soterinis est pater'.*)

Cum enim Soterinis genetivus dativo confirmetur Soterini, qui in titulo habetur ab Iahnio in Specim. epigr. p. 89 memorato, apud Graecos eiusdem declinationis vestigium non repperimus, verum unum genetivum in ιδοc terminatum. Hac autem quaestione ipsius metaplasmi causa a me instituta illud quoque proficitur, ut Eunuchi Terentianae versus 267, de quo Fleckeisenus et Umpfenbachius desperarunt, lenissima medicina sanetur. Cum enim verbis sic proditis:

Set Pármenonem ante óstium Thaidis tristem vídeo

versus spatium non expleatur, Muretus pro 'Thaidis' scripsit 'meretricis', Bentleius 'opperiri', Bothius 'Thaidii', Fleckeisenus vero et novissimus editor Umpfenbachius 'Thaidis' retinuerunt, sed anteposita crucis nota. Atqui apertissimum est non modo Mureti et Bentlei inventa evidentia carere, sed etiam Bothianum istud reiciendum esse, praesertim cum ratio non perspiciatur, cur ea, quae ceteroqui 'Thais' nomen habet, hoc uno loco 'Thaidium' appelletur. Scribendum est potius:

Set Parmenonem ante ostium Thaînis tristem video.

Hominum nomina sunt, feminarum potissimum, in quibus increbruit haec declinatio, quamquam ita plerumque, ut vulgata iuxta habeatur. E deorum heroumve nominibus quinque, quae in latinis titulis reperiuntur, Isis Nemesis Attis Osiris Serapis, unum Attis hunc metaplasmum offert, atque adeo saepius, ut memoravimus, quam vulgares formas. Contra Nemesis semper declinationem quae est Nemesis Nemesi habet, cuius exempla leguntur Neap. 3584. 4605. C. I. L. II, 2195. Or. 1787. 1788. 1789. 1790. 1791 (v. Henz. Or. III p. 158). 4121. 7203, etsi cognominis Nemesis ablativus Nemeside exstat Neap. 5283. Item Osiris in duobus locis, quos copiae meae suppeditant, Or. 1768 (= 1886). 1885, dativum Osiri vel Hosiri praebet. Isis et Serapis aut Isidis Isidi, Serapidis Serapidi, aut Isis

*) [Nec delitescere in thesi *patria*, nec duorum versuum finibus divelli *meus pater* possunt. Recte igitur septenarios Bothius constituit, nisi quod tollendi hiatus causa etiam *est patria* verba sic inter se transponenda sunt:

'Immo id, haec quod nóstra patriast, ét quod hic meus ést pater,
'Illic autem Sóterinis ést pater . . . . . F. R.]

Isi, Serapis Serapi declinantur, qua in re notabile est Isidis longe fuisse usitatius quam Isis, verum e contrario Serapis multo frequentius quam Serapidis, etsi haec declinatio in graecis monumentis conspicitur sola*). Exempla utriusque generis in copiis meis haec sunt:

Isidis Neap. 1090 (= Or. 5841). 2243 (= Or. 3745). 3549 (= Or. 3716). 4315 (= Or. 1880). 5704. 6746. Or. 1879. 1882. 2305 ('circa annum p. C. 375' Or.). 2308. 2309. 2335 (a. p. C. 376). 2355 (4 saec. fine). 2494 ('spurius' Henz. Or. III p. 219). 5835. 5962. 6385	Isis Or. 2316. 6090. 1630 (Henz. condemnat Or. III p. 151). 1883 ('suspectus' Henz. Or. III p. 164)
Isidi Neap. 444. 701. 4833. 6311. Or. 457. 714 (a. p. Chr. 51). 1872. 1873. 1874 ('male videtur descriptus et interpolatus esse' Henz. Or. III p. 163). 1875. 1876. 1878. 1881. 1885. 1888. 1889. 1894. 1928. 2035. 2315. 2510 (= C. I. L. II, 3386). 3804. 5077 (3 saec. init.). 5495 (3 saec. init.). 5832. 5833. 5856 bis. 6138. 6538. 6655. C. I. L. II, 33. 981. 2416. 3387 (Mommseno susp.). 4080. 4491	Isi Neap. 1 (= Or. 6027). 5352. Or. 1877. 5834 bis
Iside[m] C. I. L. II, 3730	
Isid C. I. L. I 1034, 7 (ante Caesarem interfectum). Neap. 2810. 5137. 6107. Or. 2402. Or. II p. 380 (calendar.). 6666	
Serapidis Neap. 3549 (= Or. 3716)	Serapis Neap. 5704 (= Or. 5138). 6106 (= Or. 7255). Or. 1895 (a. p. C. 157). 2316. 5838. Serapi[s] C. I. L. I, 577, 1, 6 (ante Caesar. mort.) = Neap. 2458, I, 6. Sarapis Or. 1888 (2 saec. fine)
Sarapidi Neap. 2483 (= Or. 5837). Or. 1890. 1891. Serapid Or. 987 (3 saec.)	Serapi Neap. 1 (= Or. 6027). 444. Or. 714 (a. p. C. 51). 950 (a. p. C. 222; monum. histor.). 1877. 1887 ('Num pro interpolata inscriptio habenda est?' Henz. Or. III p. 164). 1889. 1892. 1893. 5645. 5658. 5836. 6138. C. I. L. II, 3731. Sarapi Or. 1894

*) Cf. Buechelerum Mus. Rhen. vol. XV p. 438.

§ 7.

Multo difficilior prima specie alius videtur metaplasmus, quo a Parnaces id est Φαρνάκης Parnacenis (Parnaceni C. I. L. I, 1064 = Or. 4488), ab Hermes Hermenis ('Apuleio Hermen' Neap. 3180: 'sic' Minervinius), ab Hermogenes Hermogenenis ('Q. Turranio Hermogenen' Or. 6520), a Pasicles Pasiclenis (Or. 1728), ab Agathocles Agathoclenis ('Lurio Agothoclene' Or. 4540) ducuntur. Haec declinatio, C. Caesaris morte prior et plebeii haud dubie sermonis terminis circumscripta, rarissime conspicitur neque, si locos memoratos excipias, in meis excerptis habetur. Quoniam autem ne huius quidem metaplasmi origo adhuc illustrata est, eius rei nobis periculum faciendum est. Iam ante Christum natum nemo nescit Graecos coepisse non numquam ι scribere pro η, unde consequens est non modo eo ipso tempore η adaeque pronuntiatam esse atque *i*, verum etiam aliquanto prius, cum littera mutata indicio esse soleat soni dudum mutati. Quae pronuntiationis conversio non potuit nihil valere in Latinos, quippe qui et primo ante Christum saeculo et antea artissimo cum Graecis vinculo continerentur; nam nulla fere Italiae pars fuit, in qua non magna esset graecorum servorum multitudo. Ac vestigia locutionis apud Latinos quoque novatae haud raro deprehenduntur, praeter cetera in recentioris temporis monumentis, ut Ico Neap. 70 = Ἰχώ, Agapitus Neap. 3891 = Ἀγαπητός, Hymitus Neap. 5031 = Ὑμηττός, Scina Neap. 5391 = σκηνή, Thilus Neap. 5393 = θῆλυς. Etiam nominum in *es* exeuntium casus rectus in titulis librisque manu scriptis saepe numero in *is* desinit, ac vetustissimum quidem cuius notitiam habeo exemplum est Parnacis, quod C. I. L. I, 1035 exstans ad liberae civitatis tempora pertinet confirmaturque inscriptione Neapolitana 4292 '[Ph]arnacis' exhibente. Ab hac forma Pharnacis, ut a Salamis Salamînis, Aris Arînis, Attis Attînis, in rustico sermone Pharnacînis genetivus derivatur: cuius quidem ipsius exemplum in promptu non habeo, legitur tamen, ut supra monui, C. I. L. I, 1064 (= Or. 4488) Parnaceni dativus, qui, quamvis *e* littera scriptus, nihilo minus, si quid video, Parnacîni efferebatur. Quippe plebeius homo, qui plerumque Parnaces scribebat, sed loquebatur Parnacis, similiter, si Parnacîni enuntiabat, Parnaceni scribendo exarare poterat. At quaesiverit quispiam ex me, num forte Parnaceni forma

aliter possit explicari atque inferioris multitudinis errore, numve in graeca lingua nullum nomen in ης ηνος exiens reperiatur. Sed obscurissimo Τέλλης Τέλληνος excepto nullum huiusmodi cognitum habeo, quod quidem solum potuisse metaplasmum procreare nemo sanae particeps rationis sibi persuaserit, praesertim cum Telles nomen in latinis inscriptionibus litterisve non habeatur. Ergo ad Parnacis, si sonum potius quam litteram spectas, referendum est Parnaceni. Consentaneum vero est recenti aetate multo plures apparere nominativos in *is* terminatos, quorum loco in *es* desinentes expectemus. Ut pauca adferam pro multis, ecce habetis 'A. Cossinius Philocratis ('sic') — 'Ωλος Κοccίνιος Φιλοκράτης' Or. 2713, Herculis Ross. 401 (a. p. C. 392), Iohannis Ross. 916 (a. 496). 1055 (a. 536 vel 537), Achillis ibid. 1047 (a. 534), Eutychis ibid. 1069 (a. 540)*), a quibus etiam genetivi in *itis* finiti ducuntur, ut Iohannitis (cf. § 1 et Schuchardtum I p. 231). Aliud indicium terminationum *es* et *is* posteriore tempore plane mixtarum hoc est, quod et feminina et masculina *is* syllaba finita haud raro *es* exitum habent, ut Calaes Neap. 6307 (81) pro Calais, Heraes Neap. 2364 pro Herais, quamquam in his de adsimilatione quadam quae dicitur cogitari possit, cum *e* vocalis propius ab *a* absit quam *i*; Serapes Neap. 7277 (p. XXI), Soteres Ross. 330 (a. p. Chr. 383). 488 (a. 400), Pardales ibid. 590 (a. 409), Stefanes ibid. 237 (a. 373). Eodem valet, quod ab Antiochis non modo Antiochinis, sed Antiochenis quoque derivatur, quorum utrumque Neap. 5423 (= Or. 7221) legitur**), item ab Eutychis Euticenis Neap. 4683. Nemo profecto negaverit Serapes Soteres Pardales Stefanes Antiochenis Euticenis pronuntiata esse Serapis Soteris Pardalis Stefanis Antiochinis Euticinis: quis igitur me audacem vocaverit, quod idem de Parnaceni similibusque contendam? Quod Latini a suis quoque nominibus Spes et Species duxerunt Speni et Specieni, etiam hoc ita tantum fieri potuit, ut *e* littera antiquum sonum dimitteret. Exstat autem Speni Neap. 2864, Specieni Neap. 4720, si quidem hoc, non Speciei, ut vult Mommsenus, latet in traditis litteris SPECIENT. Ceterum errat Iosephus Scaliger, quod in indice thesauri Gruteriani Parnaseni (833, 13. 835, 7) non diversum esse dicit a Parnaso, cum potius idem sit quod Parnaceni.

*) Cf. Schuchardtum I p. 229.

**) Cf. tamen § 8.

§ 8.

Raritas formarum Parnacenis Pasiclenis, similium, non mira videbitur reputanti et pauca masculina graeca in *is* exeuntia Latinis usitata fuisse et paucissima eorum (Attis Attinis, Aris Arinis) genetivi exitum *inis* habuisse. Consueverant enim Latini feminina potissimum sic immutare casibus: quare, si graeca feminina in ης desinentia (ut Φιλότης) et apud ipsos Graecos crebriora fuissent et a Latinis maiorem in modum recepta, haec sine dubio metaplasmo magis favissent; nunc vero eorum locum quodam modo occuparunt nomina in η terminata. Explicavimus enim § altera propter nominativi *s* finalem aut mutam aut lenissimam masculina in *es* et feminina in *e* exeuntia recenti tempore ita esse confusa, ut non solum Eusebes Eusebetis, verum etiam Hermione Hermionetis declinaretur. Eadem de causa factum est, ut nonnullis ante saeculis cum Pasiclenis Hermogenenis tum Tychenis Nicenis formarentur. Atque antiquissimum exemplum, si Mommsenum sequeris, legitur C. I. L. I, 819, ubi haec exstant: 'Danae ancilla noicia | Capitonis hanc ostiam | acceptam habeas | et consumas Danae | ne habes Eutychiam | Soterichi uxorem.' V. 4 et 5 Mommsenus 'Danae' et 'ne' in unum coniungit vocabulum, ut Danaene accipiendum sit pro Danaenem, quam sententiam Henzenus in Add. et corr. ad syllog. inscr. 6115 non ita debuit impugnare, ut vocis Danaës accusativum non esse posse Danaënen (immo Danaënem) contenderet. De metaplasmo enim Danaëni Neap. 5878, Callitycheni Neap. 5314, Calybeni Neap. 1792, Florenem Neap. 7200, similia multa comparari possunt, de *m* accusativi neglecta Helpine in tit. Gud. m. 234, 2 (v. Mommseni enarrationem). Ad sententiam quoque, si consideramus in titulo nos cotidianae vitae, non in scriptoris libro versari, in Mommseni explicatione acquiescere possumus, qui verbis 'Danae ancilla noicia Capitonis' ab eis quae secuntur lineola seiunctis haec addit: 'precatur quae haec scripsit, Ditem Patrem, ut Danaen emptam nuper Capitoni ancillam tanquam hostiam acceptam habeat tabeque consumat, ut idem diris in Eutychiam aliquam scriptis ante satis fecerit.' Itaque non est necesse cum Henzeno opinemur 'habes' male pro 'habeas' exaratum esse. — Supra dixi maximi in haec feminina momenti fuisse masculina in ης terminata; sed non minus value-

runt, si quid video, nomina in *is* desinentia, potissimum feminina, quibuscum ipsis feminina in η finita permiscerentur. Cum enim etiam nominum in ĭs vel ĭs exeuntium littera extrema aut submissa voce adpellaretur aut prorsus muta esset, Salamĭs igitur et Soterĭs perinde fere sonarent atque Salamĭ Soterĭ, cum porro etiam feminina in η terminata eam passa essent conversionem, qua η litterae sonus non differret ab *i*, Tyche igitur et Calybe pronuntiarentur Tychĭ Calybĭ, fieri potuit et factum est ut non minus a Tychĭ Calybĭ derivarentur Tychĭnis Calybĭnis quam a Salamĭ Soterĭ Salamĭnis Soterĭnis. Qua in causa neque illud ullius ponderis est, quod plurima nomina in *is* desinentia brevem *i* habent, feminina in *e* finita semper productam, cum vocalium ultimarum mensura a profano vulgo saepe neglegeretur (cf. § 9); neque magis hoc, quod plerumque non Tychinis, sed Tychenis scriptum est, cum Tychenis quoque haud secus efferretur, quode conferas § 7 de Parnaceni disputata. Primum autem quod attinet ad omissam nominum in *is* exeuntium finalem litteram, § 2 ex Corsseni libro 'qui' 'incomparabili' 'admirabili' protuli, quibus nunc adicio 'Hilari' Or. 5094 et 'Salutari' Neap. 1157. Porro *i* litterae propter novatam locutionem pro *e* scriptae exempla praesto sunt plurima, cum nominativi ut Trophimi C. I. L. II, 1403 (cf. Schuchardtum I p. 227 partim ex inscriptionibus, partim ex scriptoribus adferentem Deiphobi Euchi Meliti Tychi Tici), tum casuum obliquorum ut Augini Neap. 4501, Chrestini Neap. 921, Practicini C. I. L. II, 3929, Doticini Neap. 5739, Glaphirini Neap. 3131, Stactinis Grut. 932, 3, Nicini Neap. 4816. Or. 6277 (cf. Schuchardtum I p. 231, cuius tamen exempla non omnia sat apta sunt; Daphnini quidem etiam ad Daphnis (Neap. 3719. 5896. 5967) referre licet). Saepius profecto in his formis *e* reperitur et, cum *ae* et *e* litterae a recentioris temporis quadratariis prorsus confundantur, interdum, quamvis raro, talia leguntur quale est Agathaeni Neap. 6921. Hoc tamen excepto in copiis meis nullum exemplum exstat; habetur tamen in Ritschelii Spicil. epigr. Tryphaeni et apud Schuchardtum III p. 112 Augaeni. Sed sive *i* scribitur sive *e* sive *ae*, locutio semper fuit eadem neque diversa ab *i* litterae sono. Accedit aliud, quo mea metaplasmi explanatio confirmatur. Saepissime enim feminina reperiuntur, quae ita tantum inter se differunt, ut alterum in ιc, alterum in η exeat, qualia sunt quae subieci:

Ἀγαθίς (v. lex Bens.)	Ἀγάθη l. B. Agathe (v. ind. C. I. Neap.)
Acumis Neap.	Ἀκμή l. B. Acme Or. 6543
Ἀκτίς l. B.	Acte Neap.
Ἄλκηστις l. B.	Alciste (v. ind. C. I. L. II)
Ἀλκίς l. B.	Ἀλκή l. B. Alce Neap.
Antigonis Neap.	Ἀντιγόνη l. B. Antigone C. I. L. II
Ἀντιοχίς l. B. Antiochis Neap.	Antioche C. I. L. II
Δαναΐς l. B. Danais Neap.	Δανάη l. B. Danae Neap.
Δαφνίς l. B. Daphnis Neap.	Δάφνη l. B. Daphne Neap.
Εἰρηνίς l. B.	Εἰρήνη l. B. Irene Neap.
Καλίς l. B.	Καλή l. B. Cale Neap.

Apparet quam planissime, si ab Antiochis (Antiochi) genetivus derivari potuerit Antiochînis, eundem facillime duci potuisse ab Antioche (Antiochi). Deinde perspicitur aliquoties discerni non posse, utrum formae in *inis ini* finitae ad nomen in *is* terminatum referendae sint an ad nomen in *e* desinens, id quod exempli gratia in ipsa Antiochinis Antiochini cadit § 6 commemorata, item in Daphnini, cuius modo mentionem feci.

Transeo ad formas quasdam iniuria ut videtur ab hominibus litteratis metaplasmi auxilio explicatas. Exstant enim in indice corporis Gruteriani dativi feminini Eromini (Grut. 982, 11), Hedoni (Grut. 359, 7), Hermioni (Grut. 736, 12), Seleni (Grut 751, 9), quos ex Eromeneni Hedoneni Hermioneni Seleneni ortos esse Scaliger opinatur adprobante in universum Schuchardto I p. 231. Sed quamquam interdum syllabae ante pares vel similes a Latinis extrusae sunt, ut in Restutus pro Restitutus (v. ind. C. I. Neap.), tamen vix umquam et longam vocalem habentes et accentum. Neque Hedoni puto ad Hedonini ita posse satis commode referri, ut ultima syllaba omissa existimetur. Denique multo melior in promptu est via. Supra diximus atque exemplis demonstravimus mutata η litterae adpellatione factum esse, ut feminina primam sequentia declinationem etiam nominativum in *i* finitum praeberent; adaeque pro *es* genetivi exitu non numquam *is* legitur, ut Apatis C. I. L. II, 1227 (Apatis et Apalis traduntur, 'Apat[e]s' Huebn.), Semnis ibid. 3499, Tychis Neap. 1720. Quocirca mihi quidem certissimum esse videtur etiam Eromini Hedoni, reliqua, quibus addas Phryni C. I. L. II 2068, Onomasti Neap. 4348 ('Onomasti' traditur, 'Onomaste' Momms.), eadem de causa exarata esse pro Eromene Hedone, ceteris.

Ad aliam quaestionem ducimur inscriptione Orelliana 5137: 'Pausilypon Mettiae T. l. Hedonéi.' Ibi Henzenus in Add. et corrig. existimat 'Pausilypon' villae esse nomen, Hedonéi autem pro Hedoni = Hedonii (a nominativo 'Hedonium') dici, ut 'poseit' pro 'posit' = 'posiit', 'posuit' Neap. 5409, 'expoleit' pro 'expolit' = 'expoliit' Or. 6588, 'Iovei' pro 'Iovi', 'Iovii' 3793, 'Vergilei' pro 'Vergili', 'Vergilii' 7267.*) Sed manifestum est, si *ei* litteris *i* producta significetur, ut vult Henzenus, apicem supra *e* positum, qui vel per se longam vocalem indicare soleat, prorsus esse supervacaneum. Haud quidem ignoro similia non numquam reperiri; verum ea tamen haud dubie cognominis explanatio praeferenda est, qua apex simul explicetur. Leguntur autem saepe numero in posterioris temporis inscriptionibus feminina quintam sequentia declinationem, ut Spes Neap. 1304. 1341. 2739. 3300. 6660, Spei Neap. 1719 (Speni Neap. 2864). 2557. 6746. 6748, Species Neap. 4650, quorum *s* extrema cum et ipsa esset muta, nomina in η exeuntia cum eis commixta sunt (cf. Buechelerum 'Grundriss' etc. p. 54). Sic non solum apex quid sibi velit perspicitur, sed etiam cum Henzeno Hedonéi pro genetivo accipere licet ex 'Pausilypon' pendente. Probabilius enim est profecto 'Pausilypon' villae nomen esse quam hominis cognomen, cum, si eius cui lapis dedicatur tota exstat adpellatio, non cognomen dedicantis solum reperiri soleat. Eadem prorsus ratio primo obtutu dativorum videtur esse Nicei C. I. L. II, 2297, Halei Neap. 2943, Tychei Neap. 6005: nec quicquam huic opinioni adversatur nisi illud, quod de altera quoque interpretatione cogitari potest. Huebnerus enim ad C. I. L. II, 2297 contendit Nicei pro Niceni dictum esse, nullo quidem allato *n* litterae inter duas vocales eiectae exemplo. Habetur tamen C. I. L. I, 932 Perpea id est Perpena, Neap. 6603 Parteienis id est Parthenienis si quid video, Neap. 6005 'Ioniae libertiai Hilarioi Tychei' haud dubie pro 'Ioniae libertinae Hilarioni Tycheni.'

Femininorum declinatio in *enis* terminata et multo est vetustior ut intelleximus, et longe frequentior quam altera illa in *etis* desinens § 2 a nobis enodata; quin etiam in singulis quibusdam vocibus, etsi plebeii sermonis finibus cohibetur, vulgaribus

*) Cf. in Ritschelii Opusc. phil. II p. 642 et Pr. lat. mon. enarr. p. 121 *a* ima composita.

formis (Tyches Tyche Tychen) minime est rarior: quare operae pretium duxi omnia utriusque declinationis exempla, quae quinque illis syllogis continentur, adponere. Vix addam necesse est ambigua a me praetermitti. Interdum enim propter impeditissimas vocum structuras in sepulcralibus potissimum titulis usitatas non licet casus satis discernere, id quod in dativum potissimum cadit a nominativo non diversum (Tyche). Neque tacere volo omnes me dativos in *e* finitos ad nominativos rettulisse *e* littera terminatos, quamquam haud ignoro posse eos interdum etiam ad nominativos in *a* exeuntes pertinere, cum recenti tempore haud raro lapicidae *e* exaraverint pro *ae*.

Aecale id est Ἑκάλη Neap. 5606	Aecaleni? uxori C. I. L. II 2449 (traditur 'Aecileni')
Agathe Neap. 6399 (= Or. 6263). Or. 7369. 7386	Agathaeni Neap. 6921. [Agat]heni? Neap. 363
Apates Neap. 3050. Apatis C. I. L. II, 1227. Apate Neap. 3021. Or. 2673	Apateni Neap. 5416
Afrodite Neap. 2985	Aphroditeni Neap. 5515. 175 (APHRODITVII traditur; corr. Momms.)
Auges Or. 6288 ter (a. p. Chr. 22). Auge Neap. 574. 2341. 3164. 4279. 4478	Augini Neap. 4501. Augeni Or. 4152 (v. l. Augaeni)
Beronices Neap. 3440. 5444. (= Or. 6941 'montis Beronices')	Beroniceni Neap. 6515
Cale Neap. 6155. Or. 3200. 6960 (primo p. C. saec.)	Caleni Neap. 838. Or. 4630
Caletyches C. I. L. II, 4562. 3131 ([Ca]letyches). Callityche Neap. 3326. 176 ('Crilitiche' traditur, corr. Momms.). Or. 2807	Callitycheni Neap. 5314
Charites Or. 1967. Charite Neap. 5228. C. I. L. II, 3917	Chariteni C. I. L. II, 3990. Or. 4500
Chreste Or. 4567	Chrestenis Neap. 6934. Chresteni Neap. 2981. 6999. C. I. L. II, 3085. Chrestini Neap. 921
Cypares Neap. 6476. C. I. L. II, 1370 (Cyp[ar]es). Cypare (dat.) Neap. 5447. Cupare (abl.) Ross. 206 (a. p. C. 368)	Cypareni Or. 2878. Cyparene Neap. 280
Damale Neap. 4287	Damalini Neap. 417
Danaës Neap. 5859. Danaë (navi, abl.) Or. 3645	Danaëni Neap. 5878

Daphnes Neap. 2160. Daphne (dat.) Neap. 3854. 4993. 6516. Or. 4496. Daphne (abl.) Neap. 3008	Daphnenis Neap. 4279. Daphneni Neap. 3827. Dapnen Neap. 4993
Ecloge Neap. 1905. 3688. 6077. 6923	Eglogeni Neap. 5962
Erotice Neap. 5735	Aeroticeni C. I. L. II, 2996
Gamice Neap. 2978	Gamigenis id est Gamiceni Or. 4384
Halle Or. 2680	(Halei matri Neap. 2943)
Hedone Or. 4544. Hedoni 4623	Hedonen ... Neap. 4182
Helice C. I. L. II, 4339	Helycenis Or. 2680
Irenes Neap. 4781. 7176. Or. 4574. 4821. 6054. Erenes Ross. 121 (a. 355). Irene Neap. 2524 (= Or. 4251). 3149. 3731. Or. 425. 2553. 2645. 6535. 7360. C. I. L. II, 4401	Irenini Neap. 1809 (inscr. corrupta)
Lalage Neap. 1678. Or. 3001.	Lalageni Or. 4675 (genuina?)
Laodice Neap. 6421	Laudiceni Neap. 5404
Lyde Neap. 5662	Lydeni C. I. L. II, 2587
Megiste Neap. 3719. 4780. Or. 3093	Megisteni Neap. 5736
Nices Neap. 3232. Or. 2230. 3356. 4192. Nice Neap. 2933. C. I. L. II, 4146. Or. 4602 (v. Henz. ad Or. III p. 483). 4776	Nicenis Neap. 4398. Niceni Neap. 3775. 3955. 4793 (tit. incertae interpret.). Or. 4231. 6291. Ross. 151 (a. 362). 222 (a. 371). Nicen— dat. Or. 3374. Nicini Neap. 4816. Or. 6277. Nicei C. I. L. II, 2297 (incert.)
Onesime Or. 4618. 4823	Onesimeni(?) C. I. L. II, 4029
Parthenope Neap. 6135. Or. 4461. 4868	Parthenopeni Neap. 2947. 5530
Phoebes Or. 1634 (p. Chr. 71). Phoebe Neap. 4228. Or. 4434	Phoebenis Or. 4717 (a. u. c. 765)
Sige C. I. L. II, 2737 (legitur 'Sice', cui Huebn. in ind. asterisc. adicit)	Sigén Neap. 7256 = 'Sicen.' ibid. 5682
Sophes Or. 7382. Sophe Neap. 3303. 5279. 7044	Sopheni Neap. 4171. 7097
Syntyches Or. 6207. Syntyche Neap. 2964. 7138	Syntycheni Neap. 1609
Thisbe Or. 2633	Thisbeni Neap. 1628
Threptes Or. 6121	Trepteni Neap. 7004
Thumeles Or. 4370 (p. Chr. 155). Tymele Neap. 6080	Thymeleni Neap. 7112
Troph[i]mes C. I. L. II, 4369. Trophime Neap. 4042. 5639. Trofime Or. 2371	Trofimeń[i] C. I. L. II, 419
Tyches Neap. 1720. 2340 (= Or. 1328; Augusti temp.). 6465. Tyche Neap. 666. 2764. 2975. 3119. 3180. 3759. 6846 (= Or. 6528). 7021.	Tycenis Or. 2680. Tycheni Neap. 3336. 270. Or. 4636

Or. 2667. 4381. 4383 (dat.?). 4544. 4653 (dat., ut videtur). 6885. 7412.
Tychen Or. 7300 (a. a. Chr. 3)
Zosimes Neap. 3236. 6564. Or. 2798. Zosimeni Neap. 633. 4068. 6682. Zosime Neap. 5080 (v. l. Zosimae). 6730.

Alia porro nomina in thesauris illis metaplasmum praebent, vulgarem declinationem forte non praebent: Agapenis Ross. 601 (a. 415), Agapeni Ross. 188 (a. 366). 487 (a. 400), Agileni id est Ἀγέλη Neap. 354, Asteropeni Neap. 5798, Atheodetenis id est Adeodatae Or. 2830, Atticeni Neap. 5736. 5511 (Attigeni), Calybeni Neap. 1792 (= Or. 4209), Denaten. uxori Neap. 6618, Didymeni Neap. 3107, Domitianen. dat. Ross. 344 (a. 384), Doticini Neap. 5739 (v. l. Dodicini Doticinae), Elatenis Neap. 5890, Elateni Neap. 5890. 1226 (Aelateni), Epinicenis Ross. 465 (a. 398), Euterpenis Neap. 6699, Euterpeni Neap. 6946, Florenem Neap. 7200, Florianeni Or. 6147, Glaphirini Neap. 3131, Glyceni Neap. 3759, Hedistenis Or. 2746, Iunianeni (v. l. Iuniani) Neap. 1636, Melitineni Or. 4675 (genuina?), Mummianeni Neap. 1671, Muschenis id est Μόσχης (cf. Μόσχος) Neap. 3863, Niobeni Neap. 5278, Parteienis id est Parthenienis (cf. quae p. 86 disputavimus) Neap. 6603, Philotini Neap. 920 (interpret. dubiae), Practicini C. I. L. II, 3929, Prosiceni Neap. 5404, Scopeni Neap. 5463 (tit. metr.), Sophroneni Or. 2680, [Spa]taleni C. I. L. II, 3978, Staphyleni[s] C. I. L. II, 3976, Tigreni Neap. 1372, Zotini Neap. 49 (an id ducendum a 'Zotine' nominativo?). Multa illa cognomina, quae unam declinationem praebent vulgarem, enumerare omitto. Ceterum a Tychen stirpe, quam Latini finxerunt, Tychenianus cognomen derivatum est Or. 6662.

§ 9.

Notissimum est feminina in ιον terminata ut Φιλημάτιον Γλυκέριον in latinam linguam recepta *ium* finem adscivisse, id quod non modo veteres grammatici testantur, ut Charisius p. 104 et Priscianus lib. V p. 142. 148, lib. VII p. 295, alibi, exempla adferentes Glycerium huius Glycerii, Sophronium huius Sophronii, Dorcium Philotium, alia, verum etiam fabulae Plautinae et Terentianae Adelphasium Delphium Gymnasium Philematium Glycerium Phanium, alia suppeditantes; recen-

tiores demum scriptores graecam formam habent non mutatam, ut Martialis Erotion (v. Schneidcrum I p. 55 et Neuium I p. 614). In titulis quoque rectus casus in *ium* desinens et obliqui ab eo derivati saepenumero leguntur, haud tamen rarior est nominativus in *io* finitus, ut Philematio, a quo ducuntur Philemationis Philemationi, cetera. Exempla cum alii inscriptionum editores attulerunt, tum Marinius 'Atti e monumenti de' fratelli Arvali' p. 254 et 496 et Scaliger l. s. s. sub 'Metaplasmus diminutivorum femininorum graec. in ον, transeuntium in ων masculinam terminationem' haec proponens: 'Chrysarioni Χρυσαρίωνι pro Χρυσαρίῳ 729, 9, Aeliae Philemationi Φιληματίωνι pro Φιληματίῳ 883, 3, Titia Philematio Φιληματίων 891, 3, Claudia Spychario Ψυχαρίων pro Ψυχάριον 596, 5': quibus ex verbis apparet Scaligerum Graecis quoque eum metaplasmum tribuisse. Sed neque Carolus Keilius, omnium qui in graeca onomatologia versati sunt facile princeps, ullum graeci feminini in ιων exeuntis exemplum cognitum habuit — id quod didici ex Iahnii verbis hanc rem in Act. litter. societ. Saxon. tom. XIII p. 356 sq. tractantis — neque ipse huiusmodi nomina investigavi: quapropter persuasissimum mihi est recte Iahnium contendere Latinis has formas deberi neutra in ιον terminata cum masculinis in ιων finitis miscentibus, postquam Χρυσάριον perinde factum sit Crysario (Neap. 6598) atque Ἀμφίων Amphio. Nominativos pariter desinentes — si *o* extremae mensuram excipis a plebeia multitudine nihili aestimatam (cf. § 6. 7. 8) — declinabant pariter. Magnam exemplorum copiam Iahnius congessit, quorum parti graeca appellativa in ιον desinentia respondent, parti non respondent, ut Thalamio Corinthio vocibus. De eis haec dicit p. 357: 'sodann werden auch von Masculinis auf oc abgeleitete Namen auf ων von Frauen geführt,' quibus in verbis ων typothetae lapsu pro ιον expressum esse apparet. Tria vero difficultatem crearunt Iahnio: Clemio C. I. L. I, 1207 (= Neap. 3714), Icomio apud Marinium 'Iscrizioni delle ville Albane' p. 65, Prosdocio Or. 4741 (suspecta), quae quidem similia videri ceteris dicit, sed explanationis incertae. Ut autem a facilioribus nominibus initium capiamus, pro Icomio lenissima mutatione scribendum est Iconio, quod graeco Ἰκόνιον respondens etiam alibi feminis tribuitur, ut Neap. 395 ('Mummiae Iconio') et 3756 ('Prociliae Iconioni'). Προσδόκιον porro pariter praeter Προσδόκιος (v. lex. Bens.) in usu erat atque Ἡγήσιον Ἡσύχιον Θεμί-

στιον Θέρμιον Ἱλάριον Κτήσιον Λεόντιον Μελίτιον Μόσχιον Ξάνθιον Πολυχρόνιον Ῥόδιον Σίριον Σισύμβριον Στράτιον Στρουθίον Σύριον Σώτιον Τυνδάριον Φανίον Φιλαίνιον Φιλίστιον Φυλάκιον Χρόνιον Χρυσίον praeter Ἡγήσιος Ἡσύχιος Θεμίστιος Θέρμιος, reliqua (v. lex. Bens.). Clemio denique sic videtur explicandum esse, ut a nomine appellativo κλῆμα non solum Κλημάτιος (v. lex. Bens.) derivatum existimemus, sed etiam Κλῆμος, hucusque ignotum, verum eandem habens rationem ad κλῆμα quam Αἷμος ad αἷμα, Lalemus Neap. 2139 ad λάλημα, a Κλῆμος deinde Κλήμιον ductum esse ut Σειλήνιον a Σειληνός, Θαλάμιον a Θάλαμος. Ad aetatem autem huius metaplasmi quod attinet, monendum est antiquissima exempla liberae civitatis esse, ut Clemio C. I. L. I, 1207 (= Neap. 3714), Philematio ibid. 1011*), Philemationi ibid. 1180 (= Neap. 4393), Selenio ibid. 1087. Ceterum has quoque formas apud grammaticos aliosque scriptores frustra quaesiveris; cum enim ad vulgarem pertineant sermonem, in solis cotidianae vitae inscriptionibus leguntur. In his vero vulgatis minime rariores sunt, ut videre licet ex omnium quae sex illa corpora praebent exemplorum conlatione:

Ampelium Neap. 931	Ampelio nom. Neap. 1688
Anthemio dat. Neap. 3439	
	Athenio nom. Or. 2820 = Neap. 3808
'Noviae Bizantium' Neap. 4286. Byzacii (urb.) ibid. 3595	
	Clemio C. I. L. I, 1207 = Neap. 3714
Dium Neap. 670 = Or. 6242	
	Edonioni Neap. 1473
	Edulioni Neap. 5995
	Elapio Neap. 6620
	Eleuterio C. I. L. II, 3523
	Epistolionis Neap. 4818. 6594. Epistolioni Neap. 5668
	Erotio C. I. L. II, 557
Iconium Or. 2638. Iconio dat. Or. 6262 = Neap. 395	Iconionis Neap. 3686. Iconioni Neap. 3756
Palladium Neap. 4576	Palladion[i] Neap. 1864
	Parthenio C. I. L. II, 2275
	Pergamioni Neap. 5394

*) Appellationem 'Aurelia L. l. Philematio' hexameter excipit hic: 'Viva Philematium sum Aurelia nominitata': ubi nemo mirabitur quod plebeia forma Philematio in versu hexametro non repetitur, si quidem *o* extrema pro brevi habebatur. [?]

Philematium Or. 2725. C. I. L. I, 1011. Philematiu C. I. L. I, 1095. Philemati[c]um Neap. 14. Philematio*) dat. C.I. L. I, 1205 (= Neap. 3675)
Phylacium Neap. 4693

Symphosium Or. 5023
Systasium Neap. 6186

Zosari nom. id est 'Zosarim' 'Zosarium' Neap. 3699. Zosariu id est 'Zosarium' Neap. 6784 (= Or. 2449)

Pharalion[i] a Παράλιον Neap. 5055
Philematio nom. C. I. L. I, 1011. Neap. 6599. 3656. C. I. L. II, 3488. Philemationis Neap. 3824. Philemationi C. I. L. I, 1180 (= Neap. 4393). Neap. 2048. 4393

Psycarion id est aut 'Psycarionis' aut 'Psycarioni' Neap. 3744. Spuchario nom. Or. 2918 (Domitiani aet.)
Selenio C. I. L. I, 1087. Selenioni Neap. 5719
Stadio Neap. 4999

Uranionis 2758

Postremo silentio praetermittere nolo ad graecorum femininorum exemplum etiam latina cum in *ium* tum in *io* desinentia formata esse, ut Studium Neap. 5087, Peculium Neap. 3659, Moenio nom. C. I. L. II, 2865, Peculio nom. ibid. 1740, Felicio Marcio (v. Iahnium l. s. s. p. 358): quod tamen genus accuratius tractare nunc supersedeo.

§ 10.

Posteaquam superioribus paragraphis significavi, unde singuli metaplasmi initium traxisse viderentur, pauca magis generalia subicere placet, quibus scrupuli nonnulli, qui fortasse remanserint, funditus penitusque exstirpentur. Ac primum quidem opposuerit quispiam, si verum sit, quod adseveraverim § 2, masculina in ης terminata cum femininis in η exeuntibus confusa esse, non modo femininorum in η finitorum declinationem in *etis* desinentem exspectari, verum etiam ex parte contraria masculinorum in ης exeuntium declinationem in *es* terminatam a femininis adscitam, h. e. ut exemplo utar, non solum Tychetis genetivum, sed etiam Eutyches. Masculinum quidem in *es* finitum, quod talem genetivum habeat, novi nullum; sed potest certe huc

*) Legitur 'Betilienae Philematio ossa heic sita sunt.' De miro dativo conferas Neap. 3866: 'L. Voluntilio L. l. Nicephoro o. h. s. s.'

spectare Spes vocis, quae in hac causa idem prorsus valet atque Eutyches cum similibus, genetivus Spes in imperatoriae aetatis inscriptione exstans apud Gruterum 776, 13 ('Corneliae Spes': cf. Corssenum II p. 723 adn.), etsi non plane spreverim Buechelerí sententiam ('Grundriss' p. 34), retinuisse inscriptionem antiquum quintae declinationis genetivum. Quae vero tantae raritatis perspicitur ratio? Hermione si graeco more declinabatur Hermiones Hermione Hermionen Hermione, cum *n* finalis omnibus temporibus lenissima esset, *s* genetivi recentibus saltem (v. Corssenum I p. 292), omnium casuum idem fere erat sonus: quae molesta ambiguitas non modo metaplasmis illis (Hermionenis Hermionetis), postquam errore vulgi nati sunt, opportuna fuit, cum eis casus planius distinguerentur, verum etiam effecit, ut graeca declinatio in femininis subsisteret neque in masculina quoque nisi rarissime invaderet. Hinc etiam illud perspicitur, quomodo factum sit ut in Eutyches et Hermes, in quibus graeca lingua declinationem in ητος finitam aut est aspernata aut admisit minime saepe, a Latinis tanto opere praeferretur. Si enim Eutyches et Hermes declinabantur Eutychae (vel *e*) Eutychen Eutyche — Hermae Hermae (vel *e*) Hermen Herme, cum et nominativi littera extrema esset lenissima (v. § 2) et accusativi, cum porro *ae* et *e* vocalium sonus idem fere esset, similis obscuritas nascebatur, quam item metaplasmus imminuebat. Porro obiciat quispiam, si recte dixerim masculina in ης et feminina in η terminata propter novatam *e* litterae appellationem cum nominibus in *is* desinentibus commixta esse, non intellegi, cur non declinatio in *ĭdis* finita his peculiaris in illa quoque irrepserit. Sed id quidem producta illorum syllaba ultima impedivisse videtur. Postremo silentio praetermittere nolo studium quoddam generis distinguendi, quo factum est ut feminina in *e* exeuntia multo rarius declinationem in *etis* terminatam haberent masculinorum propriam, quam declinationem in *enis* desinentem a femininis potissimum in *is* finitis arcessitam, masculina contra in *es* exeuntia rarissime genetivum in *enis* terminatum (v. § 8).

[Caput alterum harum quaestionum in F. Ritschelii 'Actis societatis philologae Lipsiensis' prodibit propediem.]

VITA.

Natus Brunsvicae anno millesimo octingentesimo undequinquagesimo patre Hermanno, matre Augusta e gente Dalmaia, fidei addictus sum evangelicae. Variis casibus angustiisque rerum diu impeditus anno demum sexagesimo sexto gymnasio Martino-Catharineo traditus sum, cuius rector paullo ante Theodorus Gravenhorstius creatus erat. Ibi postquam per duos annos et sex menses cum summa voluptate versatus sum, Lipsiam me contuli, ut antiquitatis potissimum studiis operam darem. Praeter ceteros animum meum allexit Fridericus Ritschelius ita, ut per totum triennium, contra atque ante volueram, Lipsiae remanerem et non modo omnibus illius praelectionibus studiosum me praeberem auditorem, verum etiam per duos annos cum Societati tum Seminario philologico me dederem. Altero loco mentionem facio Georgii Curtii, qui in Societatem grammaticam me recepit, et Ludovici Langii, qui per sex menses me docuit praeter Ritschelium et Curtium Seminarii philologici rector. Praeterea scholis interfui Ahrentis, Brockhusii, Ecksteinii, Klotzii, Roscheri, Voigtii, Zarnckii. Postremo tacere nolo incitasse me ad onomatologica studia librisque, quibus opus erat, summa cum liberalitate adiuvisse Fridericum Ritschelium.

FEB 17 1874

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 062 153 0

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 062 153 0